ERNESTI BENSHEIM

Philoſ. & Medicinæ Doctoris & Practici
Polono-Frauſtadienſis

TRACTATUS
DE
HYDROPE,

In quo ſimul oſtenditur vera veri
Medici cognitio,
&
Quinam Medici in curandis morbis & ad officia
archiatrica admittendi, quinam vero
rejiciendi;

Omnia breviſſimè deſcripta.

Cum Licentia Facultat. Med. Lipſ.



LIPSIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.
ANNO M DC LXXXXIX.

CELSISSIMO, ILLUSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
Principi ac Domino,
DN.

STANISLAO

in Lubraniec Da,mbski, DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Vladislaviensi & Pomeraniæ, Nominato autem Cracoviensi ac Ducî Severiæ &c.

Domino & Principi Meo Clementissimo, &c.

Celsissime ac Reverendissime Episcope,



Audes summa cum delectatione lego, quas FRANCISCUS CITESIUS olim Medicus famigeratissimus Regis Christianissimi & Cardinalis Ducis de RICHELIEU Intimi Illius Regis Ministri huic Cardinali in Dedicatione suorum Opusculorum Medicorum imponit, sic scribens: Medicos veros adesse jubet, qui morbis profligandis apta præscribant: Chirurgos & Pharmacopœos, qui manum & medicamenta admoveant: Patres πτωχοτρόφους, qui victum ministrent, & Quæstores, qui sumptibus necessariis operam dent. Verum est, si quid in Re-

Republ. quadam Augustissima necessarium ac laudabile, certa & bona dispositio in rebus medicis & constitutio ubique bonorum Doctorum & verorum Medicorum; ne ex aliorum Pseudo-Medicorum, Medicastrorumqve copia plures hominum occiderentur quam in castris & præliis.

CELSISSIME PRINCEPS, me non peccare puto, si id, quod de Cardinali RICHELIEU in tota Gallia adeo laudatur, quoqve de TE dicam. Quis enim dubitat à CELSISSIMA TUA REVERENTIA illa non expectanda esse, si modo Status & Conditio Reip. Polon. hoc permitteret. Magnus enim Amator ac Mecœnas Literatorum summa cum laude audire vales. Humanitas in tali magno Principe major est, quam ut sat verbis exprimi possit. Quæ & in me hanc audaciam excitavit, tractatulo huic de Hydrope morbo gravissimo & in Polonia non rarò grassante quamvis compendioso CELSISSIMÆ REVERENTIÆ TUÆ Nomen præfigere, eumqve una mecum in Patrocinium & Gratiam CELSISSIMÆ TUÆ REVERENTIÆ recommendare, sperando eum non ingratum fore.

Accipe igitur manu benevola, ſerenoqve vultu reſpice munuſculum hoc papyraceum, PRINCEPS CELSISSIME ſubmiſsè venerande, authoritatisqve Tuæ ſplendore irradiare ne dedigneris. Vale, diutiſſime, feliciſſimeqve vive incolumis.

Celſisſimæ Tuæ Reverentiæ

Lipſiæ Calendis Octobris 1699.

Obſervantisſimus, Obſequentisſimus
ERNESTUS BENSHEIM, Doct.

Candido Lectori.

NOn esset, Candide ac Benevole Lector, *ut rationes, quæ me ad hunc tractatum scribendum commoverint, prolixè recenseam. Tamen quin multi de causa hujus sollicitisuerint, nullum dubium, dico cum me non lucri aut famæ aucupio, nec philavtiæ aut jactantiæ causa, quæ longè à me proscripsi, sed animi recreationis ergo scripsisse ac publicæ luci commisisse, & quidem primùm, ut me in medica arte omnium jucundissima exercerem: dicente Cicerone, Quam Quisque novit artem, in hac se exerceat. Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ. Et ut cogitationes & observationes meas, quas supra hunc morbum gravissimum habui, aliis quoque communicarem. Deinde altera & potior ratio est, nempe ut illi Calumniatores, Mendaces, Nugatores & Nequissimi Sycophantæ futilem loquacitatem cum ranis proferentes: Me Medicinam perfunctoriè tantum fecisse, nec artem verè attigisse; ex hoc tractatulo discant, me medicam artem ex ipsis fontibus hausisse, illamque totam à pueritiâ, imo ab infantia in locis debitis & studiis medicis sacratis, studio, industria & labore, atque per debitum tempus tractasse, excoluisse & curasse.*

Verum quidem est, nos ea tempora vivere, quibus Medicina artium aliàs omnium præclarissima & nobilissima præ illis medicis fictis, qui eam exercent, & nomine & fama magni sunt, & propter illorum ignorantiam, inter quos, quod dolendum, etiam Juris-periti modò reperiuntur, qui temerè hos ipsos judicant, nunc omnium artium propè infima censetur. Sed nulla alia causa est, quam quod Medicinæ nulla pœna in Republ. statuta sit, imo interdum ipse Magistratus tales fictos medicos hinc inde alat. Insuper non rarò accidit, quod ejuscemodi impii & imperiti nebulones variis in locis à primariis Reip. Proceribus non solum aliis peritis, doctisque Medicis anteponantur, sed eo quidem interdum etiam res devenit, ut ii infimi Scioli, qui Paracelsi aliorumque Chymicorum libros vix extremis, quod ajunt,

junt, labiis deguſtarunt, multo minus legerunt, garrulitate atque mendaciis ſuis viros primarios eo usque deducant, ut non modo illos approbent, laudent, verum etiam inter conſortium honeſtiſſimum recipiant, & ſic in altum extollant.

Sed vereor, ne Illi Primates, qui, quamvis Illis jure Medicina, tanquam unum ex ſummis beneficiis ac donis, mortalibus à Deo O. M. in hac miſeriarum valle conceſſis, magis colenda ac ſuſpicienda eſſet, eam etiam interdum cum aliis paſſim pedibus conculcant & vilipendunt, dum tales homines patiuntur, qui hujus ſive ſcientiæ ſive artis nobiliſſimæ nullis gaudent teſtimoniis, neque privilegiis, tandem aliquando *à Summo Oeconomo ad reddendas rationes ſuæ oeconomiæ adſtringantur, dicenti: oeconomiam veſtram impoſterum adminiſtrare non poteſtis, atque ita vinetum ſuum multis in locis deinceps aliis vinitoribus, quod tamen Deus clementer avertere velit! locârit, colendumque tradiderit.*

Exemplum cujusdam Medicaſtri famoſisſimi, qui nec ſtudii ſui teſtimonia, nec univerſitatis alicujus praxis licitæ privilegia oſtendere poteſt, tamen adeò audax præ me locum deſiderare phyſicum mihi ivit obvium. Medicaſtrum hunc cujusdam illuſtrisſimi Domini placitu atque deſiderio circa curam ſpeciei hydropis Tympanitis ſcil. cum Aſcite admiſi: ſed proh dolor! quanta ignorantia, quanta in re medica inſcitia ſequentes teſtabuntur paginæ.

Et hoc etiam maximè anſam dedit huncce tractatulum luci publicæ committere. Candidus *ac* benevolus Lector *omnia benignè interpretetur, & ſi fortè omnia ad palatum ſuum non pertractata ſint, æquo animo ferre velit, impolito ſtylo ignoſceret, volubili enim manu ſcriptus eſt tractatulus, præſertim cum magis ad rem, quam ad verba animum meum intenderim, ſiquidem juxta Celſum morbi non eloquentia, ſed remediis curentur, & non omnes eſſe posſimus Cicerones. Sed ſufficit; ipſam aggrediar materiam.*

Tra-

Tractatus de Hydrope.

INter innumeros ferè morbos, quibus Microcoſmus ſeu parvus Mundus hominem intelligo afficitur, Cataclyſmos, inundatio aquarum ſeu Hydrops non minimus eſt, ſed gravisſimis ſuis invaſionibus hominem tandem niſi maturè ei ſuccuratur, in perniciem, h. e. ipſam mortem ultimam lineam rerum præcipitat. Cujus exempla pasſim in omnibus ferè regionibus, noſtris præſertim abundè ſatis proſtant. Nos hujus gravisſimi morbi integram naturam curamqve paucis in gratiam illorum hoc morbo laborantium, eiqve medentium deſcribere ſuſcepimus.

Ad rei cognitionem tria ſpectare, ſcil. definitionem, diviſionem & demonſtrationem Logici ajunt. Horum veſtigia ut moris eſt premere & nos initium de definitione faciamus.

Generale autem nomen ſuum deducit è Græco, & dicitur Hydrops, quod poſtea quoqve apud Latinos retinuit. Non male verò derivari poteſt Hydrops ab ὕδωρ quod Græcis ſignificat aquam, & Ὦψ, quod vocabulum ſignificat Filiam Oceani, qui magnus eſt confluxus aquarum, & magnum & univerſum mare appellatur, quod univerſam circuit terram; & Tethyos, quem Poëtæ maris Deum efficiunt. *Plato in Timæo & Virgil. 4. Georg.* Ὦψ etiam Ρεά dicitur ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod eſt fluere: propterea quod terræ rebus omnibus affluat, quaſi exprimeres conjunctis vocabulis ὑδωρὼψ ῥόωστικός, h. e. Aqua copiosè confluxa: Aqua enim ſeroſa in hominibus hoc morbo laborantibus copiosè ruptis ex inundatione aggeribus in ventrem confluit. Poteſt & ab antiquo nomine *ops*, quo veteres pro divite utebantur, deſumi: Hydropici enim divites ſunt aquarum ſeroſarum & acrium in corpore. Ὦψ quoqve ſignificat faciem, vultum, oculum &c. in hydrope vel infimus venter, vel totum corpus, vel facies, vel oculus referunt vultum, aſpectum aquoſum. Præterea Ὦψ à

Poëtis fingitur esse soror & uxor Saturni, *Hesiod. in Theog.* Qui Planeta frigidissimæ est naturæ & omnia obstruit suo frigore: Hoc experiuntur Hydropici, qui quandoqve nunquam, aliquando vix & summa cum difficultate, multoqve negotio ad sudandum ob copiam aquarum in corpore contentarum omnes circumjacentium partium poros obstruentium disponi possunt.

Ὑδρωρωψ commodioris elocutionis gratia per ἔλλειψιν pronunciatur ὕδρωψ abjecto in ὕδωρ ω. & sic in Genitivo reliquisqve casibus tribus syllabis constantibus penultimam producit, quia ω. scribitur, quæ litera apud Græcos producitur, non o. omicron: & sic hydrōps, hydrōpis penultima longa, non hydrŏpis penultima brevi pronunciatur, uti Nostro Medicastro, quem Physicum sui Amici per civitatem divulgare non erubescunt placuit, dicenti: Ego in hydrŏpe bona habeo arcana. Sed profectò Amici Illi hujus socii agunt contra ipsum Deum; contra justitiam peculiariter distributivam; & contra omnes leges. Contra Deum, qui vult ut illi Medici honorentur, qui ab eo vocati sunt. Contra justitiam: Quæ jubet ut cuiqve suum tribuatur; suum autem cuiqve non tribuens ipsa injustitia est; qua familiam ducente, fieri non potest, quin tandem omnia collabantur. Unde *Aristot. 2. de Republ. c.9.* Qua in Republica non virtuti optimus habetur honor, in ea optimus civitatis status, firmus ac stabilis esse non potest. Contra leges: quæ præcipiunt, ut honores legitimis modis acquirantur: non vi, non fraude, non crudelitate, non largitionibus, non calumniis ac obtrectatione aliorum.

Hydrops nonnullis vocatur Hydropisis, Latinis quoqve Aqua intercus, quod inter cutem aqua colligatur, qua corpus turgescit. *Horat. l. 2. Carm.* Crescit indulgens sibi durus hydrops:

Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor — — —

Celso Morbus Hydropicus. Gorræo ὕδερος. Paracelsus rorem humidum seu resolutum salem seu liquorem ad differentiam aquæ simplicis usualis vocitat. Absyrto ὑδεριάσις καὶ παρέγχυσις. A. Q. sereno Sammonico languor aquosus, & lymphaticus error vocatur. Συνεκδοχικῶς Græci partem pro toto sumentes etiam per ὕδωρ & ὕδατα hydropem significant.

In ge-

In genere denotat colluviem serosam, cujus inundatio si fit in abdomine, hydrops Ascites; si simul flatus in abdomine adsint, Tympanitas; si in habitu corporis universo, Anasarca; In Capite, Hydrocephalus; in Pectore, Hydrops pectoris; in scroto, Hernia aquosa, Hydrocele; in utero, Hydrops uteri nuncupatur.

Hinc Hydrops non male definitur κατακλυσμὸς Μικροκόσμικ☉; Nam quod in Macrocosmo mundo hoc aspectabili est diluvium, hoc in Microcosmo inundatio aquarum serosarum, acrium, acidarum. Plerumqve enim Illi, qui compotationibus diurnus nocturnis sese adstringunt, item Messores tempore Messis nimium frigidarum ingerentes, unico verbo Potatores præ aliis hoc morbo afficiuntur, vexantur.

Diluvia Macrocosmica præeunt nimbi ingentes, qui fluvios, flumina, rivos, torrentes &c. collectis aquis adeo implent, ut non solum præ quantitate tantarum aquarum collectarum eas capere non possint, verùm etiam perruptis aggeribus è limitibus suis dimittere cogantur, quæ deinceps omnia circumjacentia loca, prata, agros, & in his sata, integras civitates, pagos &c. inundant, destruunt, & ita aliquando pervertunt, ut vix quandoqve videre liceat eorum rudera.

Testatur hoc nuper elapsus annus millesimus sexcentesimus nonagesimus octavus, qui singulis ferè mensibus ingentes & stupendas aquarum hinc inde peperit inundationes, quæ variis gentibus magnæ jacturæ, magno detrimento & damno, multisqve hominibus exitio fuerunt, præsertim in Germania, ubi è variis locis maximè verò è Belgio de magnis inundationibus Novellis insertis nobis relationes sat patent. Ipsa illa Posnania in nostrâ Poloniâ caret lingvis, quibus sat exprimere possit eam tristem miseriam & miserrimam tristitiam, quam passa est ex illa inundatione præterito anno exantlata.

Quemadmdum nunc in Macrocosmo ex prægressis nimbis ingentibus Κατακλυσμὸς seu diluvium necessariò sequitur, ita & in Microcosmo ex præmissis nimiis vinorum, cerevisiarum, spirituum arte pharmacevtica paratorum, aquarum vitæ, item simplicium aquarum imbribus necessariò sequi oportet inundationem aquarum seu hydropem. Sicuti in Terra factis nimiis pluviis aquæ hinc inde confluunt, confluentes colliguntur & adaugentur; sic in homine ingestis nimiis potulentis aquæ passim modo in hac, modo in illa corporis humani parte confluunt, colli-

guntur, putrescunt, acescunt. Uti in Mundo magno hoc aspectabili aquæ collectæ cum impetu in Fluvios, flumina, rivales, rivulos &c. irruunt, eaqve præter modum complent, & ob quantitatem tantarum aquarum illorum aggeres perrumpunt. Simile quid fit in parvo mundo, ubi aquæ collectæ restagnant, restagnantes à tergo sequentibus cumulatæ in fluvios, rivales &c. qui sunt vasa lymphatica majora & minora ingruunt adeoqve distendunt, ut præ quantitate illarum collectarum aquarum vasa lymphatica disrumpantur & dilacerentur. In Macrocosmo diluvia omnia post se destructa relinquunt, prata, agros, civitates, pagos &c. pervertunt, & in statum miserrimum ponunt; Idem accidit Microcosmo, in quo aquæ extravasatæ & per catarractas non eductæ omnes circumjacentes partes in Ascite præsertim adeo destruunt, pervertunt, in substantiam gangrænosam permutant, ut non solum illæ partes in ruinam præcipitentur, sed etiam integer hujus mundi parvi tractus prosternatur, ut non pauci hujusmodi mundi ab ejusmodi diluviis ad libitinam ultimum valete transmissi sint.

Varia autem sunt diluvia in Macrocosmo, pro varietate nimborum, qui nunc vehementiores, nunc benigniores sunt, & quandoqve magnos regionum tractus inundant, quandoqve quoqve parvos; semel tamen duntaxat totum Universum in perniciem præcipitaverunt. Sic etiam in Microcosmo pro conditione & diversitate influxus aquarum serosarum in corpus humanum nunc hæc, nunc illa species hydropis producitur.

Definiatur ergo Hydrops consummatus, quod sit diluvium microcosmi nunc majus, nunc minus, factum à diruptione vasorum lymphaticorum ruptorum ex nimia distensione facta ex collectione colluviei serosæ, modo totum corpus, modo infimum ventrem, modo partes aliquas corporis inundans, tumorem producens partium inundatarum vitalitatem extinguens, & pro conditione morbi Microcosmum ad Orcum mittens. Et hæc definitio quoqve correspondet derivationi Nominis sui, quod ab ὕδωρ, Aqua, & Ὤψ, quæ & Ῥέα dicitur, Filia Oceani, cujus ingens aquarum confluxus nemini non, nisi qui ejus limina non salutavit patet, derivatur.

Qui per collectionem præternaturalem lymphæ serosioris definiunt, hoc de incipiente morbo intelligunt; nam uti in Macrocosmo, antequam κατακλυσμός subsequatur, præcedit collectio aquarum, sic in Micro-

cosmo

cosmo colluvies serosa, sit in quacunqve parte velit, priusquam sequitur inundatio, colligitur. Et pro causa mediata proxima merito haberi potest, nam mediante aquarum collectione diluvium.

Alii per Tumorem Corporis vel partis ejus præter naturam definiunt, exortum ab humoris aquosi & serosi vel flatus collectione, quæ definitio legi potest apud *Hippocratem L. 4. de morbis, text. 33. & 34. pag. 158.* Et hæc definitio valet ratione conformationis, quia miseri hoc morbo afflicti in magnam quantitatem accrescunt, augescunt. Quapropter etiam ab illustribus Medicis Patavinis hic morbus definitur: quod sit aucta magnitudo præter naturam totius habitus corporis aut ventris proveniens ex cachectica & labefactata virtute sangvifica.

Antequam autem progrediamur, & de singulis speciebus subjectum indicemus, præponenda sunt quædam generaliora de structura Corporis humani, ut eò felicius & certius in curandis hisce morbis simus, & quamvis mihi non incognitum illud Medici omnium seculorum judicio sapientissimi optimiqve, Hippocratis scilicet dictum, qui in libro de prisca medicina hæc habet. Medici quidam & Sophistæ dicunt, quod impossibi-" le est eum medicinam cognoscere, qui non novit, quid sit homo, & quo-" modo primùm factus & compactus sit. Ego vero ea, quæ ab aliquo" Sophista aut Medico de natura dicta, aut scripta sunt, minus censeo ad" artem medicam spectare, quàm ad Pictoriam.

Attamen (ne vel divinus hic Author erroris ullatenus insimuletur, vel ex hoc Empirici veteres Illi sic dicti Practici ignorantiæ suæ patrocinium quærant. Nam profectò Virum tantum tamqve sapientem nullo modo potuit latere, humanam omnem investigationem ultra generalem Naturæ & Anatomiæ notitiam pertingere non posse) apertè dico, divinum Autorem hic non loqui, de veræ Scientiæ naturæ indagatoribus, sed de iis Sophistis & Pseudo-Philosophis, qui sibi magnam, eamqve imaginatoriam & falsam Naturæ scientiam fingunt, & si rectè memoriâ teneo, memini me legisse Galenum etiam de hujus generis Sophistis mentionem facere, *Class. 5. lib. 2.* de facult. simplicium medicamentorum; Nec generalem fabricæ humani corporis notitiam carpere ac sugillare, sed potius caveri in prædicto loco voluisse, ne homines præcipuam in cadaverum dissectione locarent operam, relictis aliis magis ad medicam artem necessariis scientiis. Et me, quantum attentissima cogitatione, eaqve ad Pra-

xin

xin (quæ Medicinam profitentium Lapis Lydius haberi debet) relatâ assequi valeam, utcunqve existimare, quod necesse omnino sit, ut Medicus structuram humani corporis probè calleat, quo rectius veras ideas & naturæ, & causarum quorundam morborum animo concipere ac formare queat, ne [illegible] illis Empiricis & imaginatoria eaqve falsa scientia edoctis, & neglecto legitimo ordine ad culmen seu gradum Doctoris ducente, sola saltem ex sua falsa scientia à Notario quodam in Drepana urbe illa Regiones Lyciæ il lege, habitante (quæ quidem historia la multis erit ridicula, tamen verissima: Cùm ille Notarius sibi ipsi autoritatem adscripserit & sumpserit pro suo placitu Doctores medicinæ creare, eosqve aliis juxta ordinem & autoritatem Academiarum creatis Doctoribus præferre) divulgatis Doctoribus stupidis quidem stolidisqve pari passu ambulet, & meritò damnationem potius quam laudem subeat. Nihilominus tamen omnis terra ejusmodi alit empiricos, quorum magna in curandis morbis, quorum causas tamen ignorant, est præsumptio.

Primum autem membrum, quod in hydrope læditur, est ventriculus, ex cujus læsione omnes ferè morbi interni ortum suum ducunt, qui instar ollæ vel cucurbitæ seu retortæ est, & cum integro suo canali ex tribus membranis componitur, glandulosa, carnosa & tendinosa, quæ omnes sua habent officia: Nam glandulosa duobus præcipuè inservit usibus, primus est, ut sensibilitatem det, & ex hac sensibilitate appetitum in nobis excitet, qui sub nomine famis & sitis provenit, nempe quando cibi reliquiæ vacuo in ventriculo hinc inde oberrantes, mora & agitatione acriores factæ superius ventriculi orificium ex fibrillis nerveis contextum vellicant, & quia nervi ventriculi cum reliquis nervis in sensorio communi seu *κοινα-ἐίῳ* terminantur, efficit hæc vellicatio, ut mens ideam famis & sitis concipiat, atque de cibo & potu sumendo cogitet. Secundus usus est, ut ad hunc appetitum excitandum, & circumjacentes partes humectandas glandularum suarum beneficio succum quendam salivalem secernat.

Carnosa ob suas longitudinales, circulares & obliquas fibras peragit motus diversos, & ventriculum ad sumenda & coquenda alimenta modo capaciorem, modo verò ad eadem in chylum convertenda, chylum per debitas vias transmittendum angustiorem efficit; qui quidem motus omnes beneficio sp. animalium perficiuntur.

Tendinosa

Tendinosa impedit, ne reliquæ sese nimium dilatare valeant. Præter has membranas reperiuntur etiam in ventriculo Nervi à pari octavo, duo insignes funiculi stomachici dicti, Arteriæ ab Arteriæ magnæ ramo cœliaco, Venæ à portæ trunco, quarum diversæ ramificationes per anastomoses invicem omnes junguntur, nec non vasa lymphatica ab infinito ferè glandularum numero orta. Quæ vasa plerumqve cum omento habent communionem. Cum quo & ventriculus suo fundo connectitur.

Quapropter etiam Omentum quandoqve secundum membrum in hydrope læsum æquissimo accusari poterit; connectitur enim ut diximus superiori parte cum fundo ventriculi, inferioribus autem partibus adhærescit lieni, jecori, pancreati atqve intestino colo & consequentur renibus, vasibus cum ventriculo eisdem ferè, arteriis à cœliaca venientibus, venis in portam desinentibus, nervis ab octavo pari, & vasibus lymphaticis gaudet, & quidem magnâ & ingenti copiâ.

Intestina quoqve non excludi possunt; in quibus simul occurrunt ductus pancreaticus, choledochus & vasa lactea, quæ omnia summè necessaria sunt ad negotium in corpore nostro expediendum.

Omnium autem ventriculus primum se prodit, in quem omnes per fauces, gulam & œsophagum transmissi imbres ruunt, quapropter etiam facile ejus ἀκμὴ variis modis potest debilitari: nunc per nimiam frigidorum ingestionem, ut Messoribus aliquando tempore messis in magno æstu contingere solet; nunc per aliorum e. g. Vini, Cerevisiæ &c. potulentorum nimiam repletionem, ita ut in Homine certe hoc à nimiis ingestis contingat, quod in Mundo ab ingentibus imbribus fieri solet. Nimia enim potulenta, præsertim si visceribus æstuantibus ingerantur, calorem naturalem destruunt & depauperant, viscera obstruunt & inflammant; hinc ventriculus primò afficitur, flaccidus & ineptus ad ulteriorem concoctionem redditur. Nota: concoctionem in ventriculo non ex specifico suo quodam calore institui posse; sed ex fermento sangvinis quod per glandulas suas suppeditat, chylificationis negotium promovetur.

Vigore ventriculi extincto assumpta alimenta non ritè concoqvuntur, sed in liquamen viscidum, serosum, glutinosum & acre & acidum loco boni chymi pervertuntur, quod ad intestina ductum per vasa lactea ad receptaculum chyli, cisternam chyliferam dictum & ex hac per ductum thoracicum ad ipsum Cor transfertur. In statu naturali & sano omnia

hæc

hæc negotia pro voto expediuntur. Succus enim chylosus per vasa lactea ad receptaculum chyli translata, ex hoc per ductum thoracium ad cor tendens, paulo ante cor sangvini per axillarem redeunti & lymphæ à partibus superioribus refluenti sive descendenti confunditur. Hæc sic confusa per venam cavam dextro Cordis ventriculo infunduntur, ut ibidem prævia rarefactione magis magisqve attenuentur, atqve accuratius etiam secundum minima misceantur. E dextro Cordis ventriculo sangvis per motum Diastolen dictum promovetur per arteriam pulmonalem ad pulmones, ob quos etiam solos dexter ventriculus Cordi appensus est, & propriè non meretur cor dici, quia illa quoqve animalia, quæ pulmonibus carent, dextro quoqve cordis ventriculo carent, & resciffo utcunqve cor pyramidalem suam figuram obtinet. In pulmonibus massa hæc sangvinea majorem subit ventilationem, & ex his motu systole dicto per venam pulmonalem in sinistram Cordis thalamum, qui propriè cor dici meretur, impellitur; in hoc thalamo majorem subit rarefactionem, & ex hoc ventriculo per eundem motum Diastolen per Aortam Arteriarum Truncum generalem omnibus partibus corporis sanguis communicatur, & consequenter ipsi ventriculo.

E quibus facile colligi potest, quomodo in statu præternaturali & morboso partes corporis humani hinc inde lædi possunt, omnia enim liquida in circulum gyrantur; quod si nunc ventriculus eclipsin patiatur & chylus non ritè & debitè in illo præparetur, facillimè reliquiæ partes infici possunt, quæ postea sangvinem non uti debent fieri depurant, sed redeunte sangvine ad ventriculum malè disposito, fermentum ejus magis magisqve inquinatur, heterogeneis particulis permiscetur, & sic totus Tonus Ventriculi extingvitur. Qualis enim cibus & potus, talis chylus; Qualis chylus, talis sangvis, tales spiritus; Qualis sangvis, talis liquor gastricus, h. e. fermentum ventriculi; Qualis liquor gastricus, talis iterum chylus &c. hæc enim semper redeunt in circulum, seqve mutuò vel conservant vel destruunt.

Hinc patet quomodo ex liquamine hoc viscido, seroso, acri & acido passim in partibus nostri corporis obstructiones generari possunt, præsertim in glandulis mesenterii in hydrope, quæ ex intestinis per vasa lymphatica chylum recipiunt, eumqve spirituosum faciunt, magis fluidum, magisqve activum reddunt. Quando autem chylus crassus, nimis & spissus

est,

eſt, hæ glandulæ facilè obſtruuntur, & ſucceſſu temporis quoqve indurantur, ſed uti illi à vulgo ſic dicto Practico veteri, ficto autem medico iterum placuit, illas glandulas in hydrope, præſertim tympanite in corpore flatibus expanſo externè digitis tangi poſſe, dicenti: Sie fühlen doch hier auff dieſer und der andern Seiten / man kan die Glandulas meſenterii induratas recht mit den Fingern fühlen und greiffen / hoc abſolutè nego, & pro fraude magis, quam veritate habeo. Simpliciſſimus enim ille ex fallaci de Perſonâ meâ ſumpta opinione, quam ab aliis meis inimicis fraudulentis ceperat, verba hæc ſimplicia & ficta mihi pro veris venditare volebat, credebat enim me eſſe pharmacopœum, non Medicum; hæc autem opinio hunc ſocium ſtupende fallebat, audiebat enim ex ore meo: veſtra Dominatio errat, ſunt excrementa dura in inteſtino colo remorantia, quæ ob inopiam motus inteſtini periſtaltici ejici neqveunt; quod etiam eventus affirmavit; nam applicato à me præſcripto clyſtere & habita ſede excrementa duriſſima & globoſa excreta ſunt, illæqve glandulæ meſenterii induratæ amplius quoqve poterant nec obſervari, nec digitis tangi. Et ab illo tempore Medicum hunc ſemper impoſtorem, non verum Medicum eſſe judicavi, quam opinionem alii quoqve Medici confirmaverunt, & quorum relationes de hoc Medico lubens credo.

Ex Relatis enim patet hujus hominis ignorantia & inſcitia in Anatomia & conſeqventer in Medicina; & quicunqve leviter tantum Anatomen percurrit, longè aliter de conditione & ſitu meſenterii in corpore humano judicabit, quam hic medicus. Hoc non negandum, ut ſupra dixi, glandulas meſenterii obſtrui poſſe, obſtructas indurari, verùm eas in abdomine flatibus & aquis diſtento tangere digitis, & oculis percipere, falſum eſt, & non concedendum.

Diximus ſupra Omentum quandoqve ſecundum poſſe eſſe membrum, quod in hydropicis læditur. Quod probatur propriis experimentis: Obſervatum enim eſt Meſſores citò & per paucos dies incidere in hydropem; Patet Infantes per Addiphagiam ſcil. nimiam lactis ſuctionem magnam urinæ quantitatem excernere, & quandoqve quoqve citò hydropicos fieri; Obſervavi in Civitate Neoſtadio ad Hartam (in qua primam praxis meæ feci periclitationem, eamqve adeo feliciter, ut, niſi bellum hoc impediviſſet, adhuc ibidem degerem ſat contentus utinam) in fabro quodam ferrario circa modò dictam civitatem habitante, ab hernia omentali

sectione liberato, hunc ægrum sanatum illo tempore, quia magna pars omenti simul exscissa fuerat, de urinæ difficultate maximè conqueri, & si nimium potulentorum assumpsisset, magnum circa ventriculum sentire dolorem, & semper ferè alvum laxam habere; Observavi illos Potatores, & præsertim Cerevisiæ triticeæ, ut Grodicensi Polonæ, Lubecensi dictæ Rommeldeiß/ Hannoverianæ Brühhan dictæ &c. Item Vinis Rhenanis, Mosellanis &c. nimium indulgentes, citius, quam fieri alias possit, si Totius cursum semper potulenta absolvere deberent, urinas reddere, & persœpe mingere; Observavi illa animalia omento carentia nullam mingere urinam, quod in avibus, piscibus &c. videre est; Jucundè observavi in sectionibus illorum canum, quibus semper ante sectionem magnam aquæ puræ quantitatem infudi, & mox viventia apertorum, ventriculum adhuc ▽. distentum, quo manu mea presso, vasa illa Omenti ad ventriculum protensa instar venarum lactearum ▽. turgida; Observavi in variis hydropicis à me dissectis, ad quos simul refero ante duos & quod supra annos à me dissectum Reverendissimum Dn. Dn. Præpositum hujus Civitatis hydrope piè extinctum, omentum vel putridum vel laceratum, vel tumoribus refertum.

Quibus ab experimentis facile potest demonstrari omentum quoqve aliquando affici: nam si potatores urinam solitò citius reddunt; necesse est aliam adesse viam, per quam potulenta ad renes & ad ipsam vesicam deferri possunt quam assueta alias via, scil. intestina, venæ lacteæ &c. siquidem pilorus stomachi reflexus est, ut non semper potulenta effluere possint.

Porrò si messores intra paucos dies à nimiis potulentis hydropici fiunt; si Infantes cum potatoribus à nimia lactis suctione simul urinam solito citius mingunt; si ille faber ferrarius magnam omenti partem ex herniæ omentalis sectione amissus post difficultate urinæ laboravit, & cum avibus fluidiora excernebat per alvum excrementa; si pisces, aves, &c. omento carentia animalia nullam urinam mingunt, &c. Sequitur necessè potulenta fundum ventriculi petere & per ipsum transudare ea quà omento jungitur regione, & si vasa hujus omenti vel ipsum omentum sint vel lacerata, vel rupta, vel putrefacta, vel tumoribus œdematosis referta, necessariò potulenta in cavitatem abdominis decidunt, & sic hydrops excitatur. Et ea propter Omentum post ventriculum afficitur.

Venas lacteas imprimis vero vasa lymphatica quoqve affici, modo relata in apricum duxerunt.

Sed

Sed si hæ partes solæ afficiuntur, fit hoc ab hydrope citò ingruente; quod si verò hydrops sensim contrahatur, in omnibus hydropis speciebus pars affecta in genere est universum corpus, genus venosum & nervosum, quatenus inquinatum est à particulis crudis, viscidis, serosis, acribus & acidis hinc inde obstructiones generantur, quæ efficiunt, ut sic obstructæ partes sangvinem in suo motu impediant & non permittant, ut sangvis & spiritus An. cursum ac officia sua ritè absolvere possint. Cruditas enim magnus existit autor hujus morbi.

Hydropem in Genere comitari solent seqventia symptomata: sitis ingens, respiratio difficilis, tussis, urinæ paucitas &c. Quæ quidem symptomata tamen variant, pro varietate ortus hydropis, & nunc vehementiora, nunc benigniora sunt. Species quoqve diversæ sunt, ut supra diximus, pro diversitate partis obstructæ & inundatæ.

Hydrops Ascites, à Paracelso vitiosè Asclites communissimè grassatur, & non immeritò dicitur inundatio, sc. diluvium in infimo ventre proveniens ex disruptione vasorum lymphaticorum, quæ rumpuntur à nimia quantitate aquarum serosarum acidarum &c. nunc in vasibus omenti, nunc inter membranas musculorum abdominis, nunc in vasibus lymphaticis mesenterii &c. collectarum, abdomen valde tumefaciens, nec non in pedibus, cruribus & aliquando in scroto tumorem producens, modo cum, modo sine siti, Dyspnœa & Tussi.

Tympanites non multum recedit ab Ascite, nisi quod flatibus venter infimus simul magis distenditur.

Levcophlegmatia seu Anasarca ostendit inundationem aqvarum serosarum in omnibus corporis humani partibus externis per tumorem laxum & mollem.

Hydrocephalus est inundatio aquarum extravasatarum in partibus capitis extra cranium.

Hydrops Pectoris est extravasatio lymphæ serosæ in cavitate thoracis.

Hydrops Uteri est collectio aquosa, subinde in ipsa uteri substantia, subinde inter membranas ejus, rarius in ipsa cavitate.

Hydromphalon & Hydrocele sunt species Herniarum: Hydromphalon est Hernia aquosa umbilicalis; Hydrocele autem Hernia aquosa scrotalis. Ambo ex collectione aquarum; hic in scroto, ille inter Peritonæum & cutem abdominis, quod valde intumescit & German. ein Wasserbruch dicitur.

Omnium communiſſima ſpecies Hydropis Aſcites maxime homines affligere & ſui præſentiam per tumorem abdominis, pedum, quandoqve ſcroti indicare ſolet. Tuſsis, ſitis & reſpiratio difficilis non ſemper agunt comites.

Dico Tusſim, ſitim & Dyſpnœam non ſemper comitari hydropem; quia diſtingvendum eſt inter hydropem Aſciten citò ingruentem; & ſenſim contrahentem, nam Meſſores & Infantes aliquando citò & paucis diebus incidunt in hydropem, nec tamen Tusſis, nec ſitis, nec reſpiratio difficilis ſimul adſunt, quæ ſymptomata tamen ſucceſſu temporis, niſi his ægris maturè ſuccurramus, ſupervenire ſolent.

Pars affecta quoqve diverſa eſt: In hydropicis, quibus hydrops ſenſim ſupervenit, totum genus venoſum & nervoſum meritò accuſatur, & primarium ſubjectum audit; inquinatur enim particulis peregrinis, quæ ſangvini & ſpir. animalibus obices ponunt, & in motu ſuo præpediantur, & officia ſua debitè peragere neſciant. Reliquæ verò partes v.g. Hepar, Lien, Muſculi abdominis, Renes, vaſa lymphatica in infimo ventre &c. ſecundariò afficiuntur, quatenus illis à ſangvine craſſo, impuro, & ſale ſuo volatili defraudato bonus ſuccus denegatur, malus vero ſeu lympha ſeroſa transmittitur.

In illis verò hydropicis, qui cito hoc morbo afflictantur, plerumqve Ventriculus, Omentum & hujus vaſa lymphatica afficiuntur; Ventriculus primum patitur, quia in hunc omnes imbres ruunt, qui per fauces ingeruntur, quiqve per ventriculum, quia potulenta fundum ventriculi petunt, quia non ſemper per pylorum exitum inveniunt, ad Omentum tendunt & hujus vaſa lymphatica.

Liquidum, eſt illa animalia quæ omento carent, ut aves &c. non mingere, quod phænomenon anſam dedit ſuſpicari per omentum potulenta ad renes pervenire debere; hinc ſi vaſa omenti à nimiâ quantitate potulentorum ingeſtorum nimium diſtenduntur, tandem rumpuntur, liquor ille in his vaſibus contentus in cavitatem abdominis influit, & ſic Diluvium in infimo ventre inſtituit, qui tamen liquor ad renes debuiſſet amandari, & ex his per ureteres ad veſicam urinariam, ex hac autem per urethram in forma urinæ exire.

Stagirita inquit: Tunc demum ſcimus, quando cauſam cognoſcimus; quare & nobis, ut in accuratam morbi hujus cognitionem deveniamus,

niamus, causam accuratius indagare incumbit, præsertim cum hic morbus pro Medicorum opprobrio vulgo habeatur. Suppono autem in corpore nostro, quod nil nisi contextus vasculosus est, innumeras esse glandulas easqve minutissimas, in quibus extremitates & minutissimi surculi arteriarum terminantur; in quibus quoqve extremitates & subtilissimi rami venarum suum sumunt ortum: hinc si obstructio fit circa exitum sangvinis arteriosi, qui in hoc statu valdè crassus est & viscidus, & ob vasorum exilitatem ex arteriis in venas transire non potest, alium exitum sibi quærit sangvis; & quâ datâ viâ ad interstitia fibrarum musculorum, vel ad vasa lymphatica protruditur; ubi hic crassus Sucus incipit restagnare, quia ob suam crassitiem promoveri non potest, sed in sua circclatione impeditur, acescit, & in vasis lymphaticis poros obstruit; quæ vasa lymphatica postea novis semper in sequentibus particulis distenduntur, & tandem propter tenuitatem disrumpuntur. Et Ruptio hæc quando fit in abdomine oritur Ascites; hancque ruptionem vasorum lymphaticorum Causam Immediatam proximam veram hydropis agnoscere fas est.

Quæres, quare hydropis tam multæ sint species, & nunc infimus venter, nunc caput, nunc totum corpus &c. intumescat? ad hanc quæstionem respondet *Lowerus* in suo experimento de corde *cap. 2.* ubi refert, quod si cani infra cor vena cava ligatura constringatur, is inferioris ventris hydrope corripiatur: si scapulares verò ligarentur, hydrocephalus emergat: unde certè constat, interruptum sangvinis circulum potissimam hydropis constituere causam. Quamvis & alia adhuc causa in scenam introduci possit; quæ commoditatem refert infimi ventris ad recipiendum & colligendum aquas in suis uberrimis vasis lymphaticis.

Causa ergò continens proxima apertio vel ruptio vasorum lymphaticorum in abdomine, quæ aperiuntur, vel quòd potus, vel lympha aut chylus in corpore abundantiores aut crassiores sunt, aut impetuosius moventur; aut quia acrimonia sua vasa exedunt; aut quod in obstructa antea vasa ab humoribus crassis & pituitosis, vel glandularum mesenterii aut omenti humoribus continuò arietant & tandem rumpunt, & sic quâ datâ portâ ruunt. Certum enim, ceu supra aliquoties dictum, quod affectus hic sæpè consistat in glandularum obstructione, unde lympha illa male per corpus distribuitur, sed potius acessit, fibrillas illas vasorum lymphaticorum rodit, & tandem lacerat, dein quâ datâ portâ ruit.

 In Ge-

In Generalioribus diximus Ventriculum plerumqve primum in hoc morbo affici; quod quoqve verum est, dum in illo cruditates ab ingestis nimiis generantur, quò chylus non ritè paretur, sed viscidus, crudus & lentus evadat. Et hæ coctionis cruditates nullibi corrigi possunt: Vitium enim in prima coctione concessum nullibi corrigitur. Omnia in circulum redeunt, hinc si chylus vitiatus sit, totam massam sanguineam, totumqve genus nervosum suis inquinamentis inficire & defœdare potest. Chylus enim à digestione cruda & imperfecta lentescit, qui postea à venis lacteis parum aut nihil purgatur, imo ut supra dictum, labefactatus cordi transmittitur, ex hoc ad omnes corporis partes amandatur, ubi in venis, præsertim lymphæ ductibus segnescit, accumulatur & corrumpitur. Cruditatem hanc ventriculi producunt quæ varia sunt: sunt enim vel vina adulterata, quatenus permixta sunt vina generosa vinis acidis; sic quidam vinarii Vina hungarica adeo artificiosè adulterare sciunt, & ex spir. vini, vinis hispanicis, moraviensibus, Austriacis, Grünbergensibus, &c. ea ita parare, ut multi ignorantes illa pro veris vinis hungaricis ori & gulæ summa cum voluptate propinent, & lingvæ vi quadam & impetu stomacho obruant; vel Cerevisiæ fucatæ & minus quam par est coctæ, vel, ut in quibusdam regionibus fieri solet, cum sale communi, calce viva, fœcibus sacchari &c. in quibus omnibus mira est vis caustica, correctæ, à quibus potionibus ventriculus valdè debilitatur, & tota massa sangvinea inficitur; Vina quamvis generosissima, & Cerevisiæ optimæ, si nimium assumuntur, ingeruntur, hanc malorum lernam quoqve inducere queunt; Spiritus Vini vel frumenti si nimium ingurgitatur, ventriculi pilosam substantiam exedit, eum inflammat, & obstruit, ut postea non bonus, sed chylus crudus, lentus, & noxius conficiatur, & sic quoqve cruditatis autor existat.

Cruditas hæc corpus reddit Cacochymicum & omnes laudabiles succos in eo pervertit in serositatem, visciditatem & aciditatem, quæ spiritus animales faciunt debiles, ut partes omnes in corpore nostro non rectè irradiare queant; deinde quorundam viscerum texturam & structuram pervertunt, ut non ritè in illis circulatio humorum possit institui, sed vasa obstruantur & Aquæ serosæ hinc inde colligantur. Quæ collectio aquarum cum aliis memoratis locum sibi vendicat Mediatæ Causæ proximæ.

Inter Causas Procatarcticas, quæ variæ sunt, primò occurrunt Naturales: ubi notandum omne Temperamentum, omnem ætatem & sexum

ad hunc

ad hunc morbum esse proclivia. Præ cæteris verò ad hydropem disponit Temperamentum calidum, quod efficit, ut illi hoc temperamento prædi-ti facilius siti corripiantur, ut libentius bibant, & consequenter commo-dius in hydropem incidere possint. In statu sano quamvis non permitta-mus peculiare dari temperamentum, ubi una qualitas præ aliis in sangvine prædominium obtineret, cum omne ad proportionem & justitiam geo-metricam sit compositum, & temperamentum ad pondus vix dari posset in rerum natura; dicimus tamen nos hic intelligere tale temperamentum calidum, ubi motus primi elementi sangvinem in homine solitò velocius exagitat, & ubi sangvis jam à sua naturali & legitima temperie & mixtio-ne parum recessit. Illum enim sangvinem temperatum & probe mixtum cum Beatiss. Dn. D. *Waldsmidio* vocamus, cujus omnes partes convenienti ordine, motu, situ, magnitudine &c. inter se ita conveniunt, ut nulla qualitas præ aliis prædominium obtineat.

Ætatem quod attinet nulla ab hoc malo libera est, laborant eodem infantes, pueri, juvenes & senes. Infantes propter addiphagiam & vo-racitatem hydrope affectos & ego ultra Rhenum aliquoties observavi. Pue-rum quatuor annorum & alium undecim annos agentem hoc morbo labo-rasse nobis *Lister* in suis Observationibus *No. 8.* & *9.* tradidit, Puellam quandam & Puerum 12. annorum hoc morbo vexatos *Felix Platerus* Ob-servationibus suis inseruit. Qui quoqve quam plurimos juvenes & senes hydrope Ascite infestatos ipsis illis observat. refert. Juvenem quendam Ascite laborantem *Rodericus à Fonseca* notavit. Omissis aliis quam pluri-mis Autoribus, qui nos certos faciunt omnem hominum ætatem hoc mor-bo affici posse.

Sexus nulla ratione habitâ hîc morbus aggreditur tum Viros, tum fœminas, quæ tamen juxta Clariss. *Sydenham* huic morbo magis sunt ob-noxiæ quam Viri, præsertim steriles, & quando parere desiverunt. Nota. In gravidis non raro signa hydropis reperiuntur, ibi cautè agendum Me-dico, ne abortum excitet, exhibendo medicamenta serum educentia: E. respicere debet ipsam mensium suppressionem, versus regionem uteri an tumor magis vergat & an adsint signa imprægnationis.

Magna & Causarum Remotiorum vis atqve activitas est in nostrum corpus, ut sæpè illæsis adhuc & bene moratis visceribus, sibique con-stante naturæ œconomia proprio vitio hydropicam hanc labem indu-

cere

cere aptæ natæ ſint: Ex his primum conſiderandus eſt Potus, multum conferens ad ſanitatem vel conſervandam vel turbandam.

Plurimum autem peccat quantitate, dum plus ingeritur, quam concoqvi poteſt, ventriculi enim robur ſic infringitur, color ejusdem obruitur, fibræ relaxantur, ipſe langveſcit, ut nil niſi cruditates in eo generentur.

Peccat quoqve qualitate, quando frigidus ingeritur, aut acidus, crudus, craſſus, impurus aut ſpirituoſus, ut ſpir. Vini, quatenus frigiditate humores incraſſantur, fermenta deſtruuntur, tubuli illi excretorii coarctantur & ſtringuntur; aut ſpirituum acrimoniâ piloſa ventriculi ſubſtantia exeditur ipſeqve ventriculus ſic in malam diſpoſitionem proſternitur.

Symbolum ſuum maximè conferunt compotationes nimiæ, & poculorum certamina, nec non potiones ſalutiferæ, καῇ' ἀντίφεϱσιν ita dictæ, die Geſundheits-Truncke / non minus etiam Potus ſerotini, die Schlaff-Truncke / qui digeſtionis negotia interturbant & cruditatibus anſam præbent. Lacticinia pleraqve intempeſtivè aut immodicè uſurpata inſalubria etiam deprehenduntur.

Plerumqve tamen Potatores hoc morbo afficiuntur, quapropter præ aliis cauſis Nonnaturalibus Potulenta quoqve in hoc morbo accuſanda ſunt: Meſſores ab aquis crudis turmatim ingeſtis hydropici fiunt; Generoſiores verò & heroës à vinis tam generoſis quam adulteratis in hydropem incidunt. De quibus potulentis jam ſupra pluribus locuti ſumus.

Nocet quoqve refrigeratio corporis ſubita poſt intenſum calorem, quatenus obſtruuntur pori vaſorum capillarium.

Excreta & Retenta multum quoqve faciunt: Si enim excernantur, quæ retineri debebant, calor nativus depauperatur, vires infringuntur, ſpiritus animales nec non vitales debilitantur, ut facilè viſcera, aliæqve partes obſtruantur, ſeri colluvies hinc inde colligatur, & ſic affectui huic fores aperiantur.

Si autem retineantur, quæ excerni debebant, non minor inde noxa timenda eſt, quam ut præcaveret natura, tot ac tam notabilia excretoria in toto corpore conſtituere voluit, unde pro ſano iſte habendus eſt, qui benè ingerit, digerit & egerit.

Feces alvinæ non debito tempore redditæ concoctionem atqve digeſtionem impediunt, humores vitales conſpurcant &c. Ut & urina retenta cauſa hydropis eſſe poteſt.

Menſium

Mensium obstructio, quia propter restagnationem sangvinis acrimonia præternaturalis inducitur, calorqve nativus obruitur à sangvine isto fœculento.

Simile quid asserendum ferè est de impedito fluxu hæmorrhoidum in iis, quibus familiaris est. Unde *Hipp. A.* diutuurnis hæmorrhoidibus curato, nisi una quæpiam servetur, periculum ▽. inter cutem, vel tabis impendet.

Longæ quoqve obstructiones in hepate & liene quæ hydropem præcedunt, unde sangvinis circulatio & ventilatio impeditur, & eo modo acrior fit.

Transpiratio sensibilis & insensibilis quemadmodum sangvinis ventilationi & depurationi inservit, ita si inhibita fuerit, fuligines massæ sangvineæ retinentur, particulæ serosæ in eâ coacervantur, & ad præternaturalem statum disponuntur.

Nimiæ evacuationes: ut hæmorrhagiæ narium; sanguinis per os ejectio; vasta hæmorrhoidum profusio, quas propter Spiritus vitales dissipantur.

Spectat huc quoqve Venus, quæ si immodica fuerit, calorem naturalem dissipat, corpus refrigerat, spiritus debilitat, ac cruditates inducit.

Animi affectus: ut Melancholia, Tristitia, metus &c. qui pessimi sunt omnium animi affectus, sanguinem enim incrassant, humores figunt, spiritus obtenebrant, atqve ita morbo præsenti quam maxime manus porrigunt.

Item Buprestes animal insectum quoddam, contharidi & specie & viribus adsimile: hoc animalculum autem assumptum facit stomachi infinitum dolorem, totumqve corpus in speciem hydropici inflat. Integram Buprestis historiam vide sis apud *Ulyss. Aldrovand. L. 4. de Insectis cap. 6.* At cum hoc inter rarò contingentia numerari debet, hanc causam nominasse satis esse videtur.

Hic affectus aliis quoqve morbis supervenire solet: ut Tertianæ, quæ causa hujus morbi existere potest, 1. ob culpam regiminis in diæta, quando æger nimium appetitui indulget, vel etiam siti, unde non rarò pori intestinorum & ventriculi obstruuntur, vapores detinentur; lympha viscida obstructiones parit, & tandem in cavitatem abdominis exstillat. 2. Culpâ Medicamentorum, quando nempe styptica, incrassantia, opiataqve

nimium adhibentur, unde contumaces viſcerum obſtructiones oriuntur, & conſequenter lymphæ reſtagnatio.

Quartanarii idem ob errorem in cibo & potu commiſſum facilè hydropici fiunt, quia calor labefactatur, unde vitioſus deinde chylus generatur.

Ex Ictero hydropis orti Mihi Ipſi occurrit exemplum in Nobili Conjuge Prænobilis ac Ampliſſimi Domini Stanislai Recſcinsky Dioeceſeos Frauſtadienſis circa vectigalia Adminiſtratoris graviſſimi, Amici, Patroni ac Compatris Mei plurimum honorandi. Matrona hæc per aliquot annos ſuppreſſione menſium & hyſterica paſſione vexata incidit in Icterum nigrum cum febre continua & ardente, quæ, quamvis ab Hippocrate Icterus in febribus ante diem ſeptimum ægros invadens, malus judicetur *Aphor. 62. S. 4.* intra 14. dies feliciter à me ab hoc morbo liberata tamen cùm cum Illuſtriſſimo & Generoſisſimo Dom. Dom. Caſtellano Poninsky me oporteret thermas proficiſci & domum reverſus valdè tumida in abdomine, & hydrope Aſcite laborans reperiebatur; quæ deinde tamen Deo ſit Laus à me (abſit jactantia dicto) iterum feliciter in priſtinam ſanitatem reſtituta eſt. Ictericos facilè hydropicos fieri poſſe, ex eo patet, quod Icterus non ex obſtructione lienis, ut veteribus viſum fuit, ſed ab obſtructione vaſorum capillarium & impedita per vaſa hæc circulatione factâ ab intemperie ſangvinis viſcida & coagulationi leviter obnoxiâ oriatur. Hinc ſi errores circa hunc morbum in potu committuntur vaſa jam antea ad obſtructionem diſpoſita facilè de novo obſtrui poſſunt, & ſic reſtagnationem ſeri cauſari. Item juxta *Hipp. Aph. 42. Sect. 6.* Regio morbo laborantibus jecur durum fieri poſſe, qui autem malum iudicatur.

Anaſarcam in Aſcitem degenerare docuit nos *Hipp. Sect. 7. Aph. 74.* Albæ pituitæ aqua intercus ſupervenit, plura infra in ipſa Anaſarca.

Hecticos aliquando quoqve in hydropem incidere poſſe, non negandum; habui enim exemplum in Illuſtriſſ. & Reverendiſſimo Dn. Dn. N. N. olim hujus civitatis Præpoſito, nunc Beato, qui ex Hectica Pulmonum in Tympanitem cum Aſcite inciderat. Quæqve Hiſtoria januam in deſcriptione Tympanitis aperiet. Provenit ex nimia profuſione ſangvinis, ubi ſpiritus depauperantur, qui poſtea in ſuis viribus deficiunt, & humores non debitè circumagere poſſunt.

Diarrhœam ſtypticis curatam perſœpe hydrops ſequitur. Cura enim in Diarrhœa ſtypticis inchoata contumaces viſcerum & inteſtinorum obſtructiones introducit. Scirrhis viſcerum, inflammationibus &c. etiam Cachexiæ facillimè ſupervenire ſolet.

Qui morbi quoqve Hydropem Aſcitem ordinariò concomitantur.

Hydrops alius eſt incipiens & imperfectus: alius eſt inveteratus ac confirmatus, alius levis, alius gravis, alius gravisſimus ſeu conſummatus. Alius citò ingruens: alius ſenſim contractus. Hydrops per ſe incipiens primarius audit; Alteri morbo ſuperveniens ſecundarius. Alius eſt ex potulentis: alius ex cruditate ciborum &c.

Cognoſcitur autem Aſcites facilè à tumore abdominis, pedum, qui tumor indies augetur, præſentiam enim ſuam neſcit abſcondere, attamen in aliis citiùs, in aliis tardius abdomen accreſcit, quandoqve pro varia Lunæ phaſi decrementum patitur. Interdum ſimul pubes tument in utroqve ſexu, in viris ſcrotum, per quod ſponte apertum militem ab hoc morbo liberatum tradit Clariſſ. ac Doctiſſ. Dn. Dn. *Dolæus* in ſua Encyclopœdia medica, *pag. 556.* qui Miles per ſcrotum plus quam 40. libras aquæ emiſit, & feliciter ſanitati per id reſtitutus eſt.

Porrò in hydropicis præſertim in illis. qui jam inveteratum agunt morbum obſervantur urinæ paucæ: quia lympha ſeu ſerum, quod per ductus ordinarios ordinariè eliminari debuerat, in cavitatem abdominis demittitur: vel in principio ex obſtructione vaſorum ad veſicam tendentium; vel in confirmato hydrope ob vaſa rupta, quapropter ſerum non amplius ad veſicam mitti poteſt. Craſſæ; ex intemperiè ſangvinis viſcida. Rubræ; à copia ſalium. Tantalea ſitis; partim ab acredine & ſalſedine particularum ſangvinis à ſero ad glandulas faucium & lingvæ transmiſſarum; partim etiam à defectu humiditatis, quæ, cum deberet ut in ſtatu naturali ad fauces transmitti, in cavitatem abdominis deponitur, unde & ægri febre quadam laborant. Tuſſis ſicca; quæ fit, quando Materia hinc inde ſtagnans aceſcit & acrior fit, ac talis aqua acris ad pulmones, pectus & Bronchia penetrat, unde ægroti quandoqve tuſſi vexantur. Dyſpnœa; ex materia ſeu aquis acutis Diaphragma prementibus. Totum reſpirationis negotium conſiſtit in libera diaphragmatis aliorumqve Thoracis & abdominis muſculorum motione, organum enim reſpirationis præcipuum eſt diaphragma, quod cum cæteris muſculis, ex duplici enim mu-

sculo compositum, pari passu ambulat, & motui dicatum est. Quod à spiritibus animal. inflatum protrudit costas & abdominis musculos, qui incumbentem aërem externam premunt, ut per tracheam ingrediatur & pulmones inflentur &c. Postea autem atmosphæræ incumbentis gravitas obstans elevato thoraci & abdomini, efficit ut tensio diaphragmatis statim relaxetur, pulmones iterum collabantur, & sic exspiratio producatur. Hinc quando Diaphragma in libero suo motu non impeditur, respiratio etiam est libera; sin vero à materia quadam Diaphragma premente; hoc in suo motu præpeditur, respiratio fit difficilis. Et hæc quoqve in aliquibus hydropicis producitur ex aqua vel in musculis abdominis, vel in vasis lymphaticis, vel in Omento, Peritonæo &c. collecta, Diaphragma & musculos abdominis nimia sua quantitate graviter premente. Partium extenuatio & contabescentia superiorum & inferiorum; ab acrimonia ⊖ina & crassa sangvinis, quæ aliquando ipsam pulmonum substantiam erodit, eosqve inflammat, exulcerat, & sic hecticam pulmonum seu phthisin excitat. Ubi observavi in dissectione Illustr. & Reveri. Dn. Dn. Præpositi, cujus pulmonum substantia penitùs erat ulcerosa. Febris lenta: quæ provenit à visciditate acri; & maximè circa vesperam observatur cum pulsu freqventiori & parvo, & cum quadam tensione, siti ingenti. Facies etiam flavet, ab obstructione vasorum capillarium & æger videtur quasi Ictero laborare. Plerumque fluctuatio aquarum manifesta percipitur, cum æger se in lecto de latere in latus circumvolvit & convertit.

Eleganter quidem signa ferè omnia comprehendit Franciscus de Porta de signis morborum l. 3. c. 12. Hydropem fœdus color arguit & tumor ingens. Et sitis & dispnœa, cibique aversa cupido. Occupat & varias inflatio turgida sedes. Quandoque, quamvis non semper, appetitus prostratus, nausea, vomitus, diarrhœa, ulcuscula in pedibus, cruribusqve manantia. Semper hunc morbum comitatur Tantalea sitis, quæ bibendo exasperatur, nam quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Quæ signa tamen omnia non semper adsunt, præsertim ab initio & in hydrope citò ingruente, ut supra mentionem fecimus.

Quæres, an ex urina omnium morborum homines affligentium signa certa peti possint? e. g. Ophthalmiæ, Scabiei, Strumarum, claudicationis &c. Sic hic Fraustadii quædam desiderabat ut illi ex urinis dicerent

rent

fem an filia ejus claudicaret, & quo cum pede; alia an in collo haberet strumam; alia surditatem, alia cœcitatem urgebat scire, &c. veniunt enim, & quasi statuæ se gerunt, nec ad quicquam respondent, etsi interrogentur, tantum dicunt: Der Herr Doctor wird wohl aus dem Urin sehen / was der Persohn fehle: Hoc præ cæteris strenuè desiderant scire: Ob aus dem Urin der Herr Doctor könne sagen / daß dem Krancken gewißlich zu helffen sey / und ob er nicht sterben werde ꝛc. ad hæc respondeo, ridiculum esse vulgum suæ salutis & mortis prognostica certissima ex urinis petere velle, infidus enim valetudinis interpres est urina, & quamvis aliquo modo signa generaliora ex eâ cognosci possint, nunquam tamen illis solis fidendum, quia incerta sunt, imprimis si verax prognostes esse velis. Sin Agyrtarum more plus quæstum facias, quam ipsam veritatem, nihil amplius quidem requiritur, quàm ut multa garrias, & quadrata rotundis misceas, nemo enim erit, qui ad contradictoria & figmenta attenderit; sufficit si semel verum dixeris; sic enim more diaboli unica veritate, mille vendes mendacia. Theologi dicunt, qui confitetur peccata sua, illi quoqve ea remittuntur; sic in medicina quoqve præstat morbum confiteri, & medicum ad lectum admittere, quam signis urinæ nudis decipi velle. Nam si medico licitum est non solùm ex urinâ, sed & ab ore ægrotantis, & motu & pulsu cordis simul specialiora & certiora signa sumere, profectò etiam ægrotus feliciùs, certiùs, tutiùs & jucundiùs à morbo suo deliberatur, absolvitur, & in integrum restituitur. Plus enim valet exploratio pulsus seu motus sangvinis, quàm signa urinæ: Ille enim non solùm sangvinis consistentiam & mixtionem secundum singulas partes nobis revelat; sed etiam de spirituum animalium vigore, vel imbecillitate, ordine, vel ἀταξίᾳ & consequenter à tota oeconomia animali testatur.

Prognosis: in qua summus honor & securitas medici est, siquid enim est quod Medicum magis admirabilem reddat in praxi, sane est prognosis, hæc enim teste *Botaldo* de medici & ægri munere §. 21. omnibus præstat. In prognosi Medicus expertus ac doctus cognosci potest: hinc si quis in sua prognosi nimis securè incedit, ita ut omnibus ægrotis indiscriminatim modo mortem prædicat, qui tamen postea convalescent; modo ægros certissimè evadere promittit, dicens: in hac ægra certissima salutis habeo signa, ægra non morietur, qui tamen mortem osculantur, Ille certè

de jure non meretur, ut Nomen Medici Rationalis ac veri ei imponatur, sed potius ficti, Idiotæ & Impostoris, talesqve impostores saltim eo tendunt, ut majores in hoc passu acquirant laudes, applausum captent & ægrotorum copiam, h. e. quæstus causam sollicitent: potest enim fieri, quod æger, cui scyllam jam prædixissent, sanus evadat. Sed hoc non observatur nec curatur, si modo à veteri sic dicto Practico hoc producitur; si verò Medicus rationalis ac Academicus in minimis, siquidem Medicus non est Ipse DEus, sed Minister duntaxat DEI & Naturæ audit, erret, Bonè DEus! quanta sinistra judicia, quantas contumelias, præsertim ab Alberto illo Magno, qui quidem magnus quantitate, revera autem qualitate valde Albertus, illum oporteat subire.

In nostro affectu modò bonum, modò malum promittere possumus eventum: in principio facilè curatur, præsertim quando fit à nimia potulentorum frigidorum ingestione; uti in Messoribus aliisqve Bacchanalia celebrantibus, qui facilè curantur per catharctica & diuretica. Item in infantibus ex nimia voracitate; ubi Medicamentis proficuis cruditates evacuari debent. Et in quibus Tussis, sitis, Dyspnoea non adeò urgent, nec ruptio vasorum jam præcessit. Qui quoqve citius aliis ab hoc malo liberari possunt. Huc conferenda est Ætas: Sic Juniores melius ferunt hunc morbum quam senes, minus enim periclitantur ægri, quorum constitutioni & ætati conformis est morbus, inquit enim *Hipp. Sect. 2. aph. 34.* In morbis minus periclitantur, quorum naturæ & ætati & habitui & tempori morbus magis affinis fuerit, quam hi, quibus in nullo horum cognatus fuerit. Sexus: hinc Mulieres præ viris etiam facilius curantur, quia vias habent magis patulas. Ratione Ætatis: Senes hunc morbum non benè ferunt iterum dicente *Hipp. Sect. 2. Aph. 33.* Magnam partem senes juvenibus minus ægrotant: Quicunqve verò morbi iis accidunt diuturni, plerumqve commoriuntur. Insanis superveniens bonum est, statuente *Hipp. Sect. 7. Aph. 5.* Ab insania, difficultas intestinorum, aut hydrops, aut mentis alienatio, bonum. Item post febres Ascites superveniens sæpius curatur. Si verò morbus jam inveteratus sit, Omentum scirrhosum, ulcerosum cum reliquis partibus, omninò incurabilis habetur, & optimo jure huc referri queunt versiculi:

Principiis obsta sero medicina paratur,
Cum mola per longas invaluere moras.

Et ve-

Et veriſſimè Perſius canit:

Helleborùm fruſtra cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentem videas; venienti occurrite morbo.

Raró curatur ubi longè præceſſerunt viſcerum obſtructiones & ſcirrhi, menſium reſtagnationes; ſanguinis nimiæ evacuationes, & phthiſis. Phthiſin aliquandó hydropem ſecutum eſſe multi autores probant, & ipſa experientia hoc docet, nec non ratio confirmat, ut jam ſupra dictum eſt.

Inveteratum eſſe morbum indicant Reſpiratio difficilis, quæ quò difficilior eò pejor, & quandoqve humores in abdomine morâ eſſe incraſſatos indicat, ita ut vapores inde elevati non liberè per poros diaphragmatis tranſeant; ſed ideò motum ejus vel magis vel minus impediunt, quoties redundant humores vitioſi. Imprimis ſi ſimul acres ſint periculum eſt; acrimonia enim partes illas adjacentes & tranſeuntes facili marte corrodit, uti aliquoties & in Reverend. Dn. Præpoſ. Aſcite cum Tympanite hydrope defuncto omentum totum fermè corroſum offendi, quod facilè putreſcit, unde affectus exiſtit incurabilis, omnis enim potus labitur ſtatim in abdomen. Poteſt tamen & aliquando reſpiratio difficilis ob ſolam aquarum in vaſis reſtagnationem excitari; & hæc non ſtatim lethalis exiſtit, ſiquidem multi hydropici difficulter reſpirantes reſtituti ſunt.

Sitis quoqve malum ſignum habetur, quam tamen non in omnibus obſervavi, & aliquot novi hydropicos de ſiti non adeo conquerentes, qui tamen vitam cum morte mutarunt; alios ingenti ſiti laborantes & tamen ab hoc morbo liberatos vidi. Tantalea ſitis ſignificat lympham tam copiosè in cavitatem abdominis deponi, ut ſangvis inde ſiccior evadat, & non ſat humidi pro ſaliva in ſe contineat ad os humectandum.

Tusſim lethale eſſe malum jamdudum nos docuit Senex divinus Cous. Aph. 47. S. 7. Si hydropicum tusſis habeat, deſperatus eſt, Hydropicis tuſſis ſi ſuperveniat malum Aph. 15. 5. 6. Tuſſis provenit ab acrimonia humoris, qui ad pulmones delatus ibidem tyrannidem ſuam exercet; corrodit enim pulmones, easqve inflammat & ſic ulcera in iis producit: inde ſi Phthiſis non præceſſerit hydropem modò ſequitur. Phthiſin in ſecundo & tertio gradu incurabilem eſſe patet ex omnium Practicorum libris practicis; hinc ſi hydropicos invadit, multò magis malum eſſe lethale nobis oſtendit. Celſus etiam affirmat L. 2. c. 8. p. 72. dic. tusſis omnem curationis ſpem tollit.

Cach-

Cachectici ob obstructionem viscerum præsertim in hepate, in quo bilis non generati potest rarissime perfectam adipiscuntur sanitatem plerumqve enim in hydropicis bilis nigra & spissior ordinario reperitur.

Pertinent huc sequentia prognostica, ut Hippocratis qvæ habet *L. 7. Popular. Titul. 13. p. 838. & 839.* nec non Coaca Prænotion. *Tit. 452.* hydrops inquit, febri ardenti superveniens, malus. Quod confirmat C. Celsus *L. 2 c. 8. p. 71. & Aph. 55. Sect. 7.* Quibus jecur aqua repertum eruperit in omentum, his venter aqua repletur atqve moriuntur; ex hoc patet Hippocratem jam omentum in hoc morbo suspectum habuisse. Prænotion. *Coac. 456.* aquâ intercutem laboranti cum febre urina pauca & conturbata, perniciem denotat: & Coaca sequenti ait: aquæ inter cutem initio aquosum alvi profluvium absque cruditate exortum, morbum solvit, & 460. aqua inter cutem, quæ curationi cessit, ubi recurrit, spem tollit, &c.

Ulcera in corpore exorta hydropicis non facile sanari, testatur Hipp. *S. 6. A. 8.* hoc confirmat C. Celsus. *T. 3. c. 21. p. 161.* quod caput totum lectu dignum de Hydrope est. Abdomen in Ascite aliquando ulcerosum fieri ultimos vitæ dies indicat; significat enim gangrænosam musculorum abdominis substantiam quam sequitur dolor excrutiatissimus in abdomine, femore & tibiis, & tandem mors quæ animam à corpore solvit.

Omnium pessimum signum est fluor alvi, qui prodromus est instantis mortis, dicente *Hipp. L. 4.* de morbis *Text. 34. p. 16.* alvus valde fluida hydropi superveniens citissimè moritur & sentiens & loquens. *It. Ap. 5. S. 8.* Ex morbo diuturna alvi fluor, lethale. Oritur propter poros destructos qui permittunt, ut quævis humiditas ab aliis partibus effluere posset in abdomen & ibi Diarrhoeam excitare, quæ sæpe aliquot, sæpe quoqve paucis diebus præcedere solet obitum hydropicorum. Ubi vero ut supra dictum ab initio morbi aquosum accidat profluvium alvi absqve cruditate, tunc utplurimum morbum solvit.

Tympanites altera species hydropis non multum recedit ab Ascite, nisi quod flatus in abdomine simul adsint, & abdomen eapropter magis distendum deprehendatur; Rarò enim flatus soli afficiunt, & quamvis quoqve hoc esset, tamen Tympanitis successu temporis in Asciten degeneratur. Utplurimum Tympanites comitem habere solet Asciten, quod multi probant Autores: Præceptor meus quondam Doctissimus Dominus Doctor Joh. Jacob Waldsmidt in notis supra praxin Barbettianam hæc habet:

Tym-

Tympanites nunquam invenitur sine Ascite, quia nunquam flatus reperiuntur sine sero, adeoqve distensio musculorum in abdomine est major & magis rigida propter flatus, quia magis distendunt. *Gockelius* D. Physicus Ulmensis & aliquot Ducum Würtembergensium Archiator conscripsit casum Tympanitis cum Ascite in Vidua quadam 43. annorum, hæmorrhagiis nimiis narium supervenientis cum tussi & materiæ multæ exscreatione. *Felix Platerus* in suis Observationibus medicis *Lib. 3.* aliquot casus Tympanitis cum Ascite recenset, ut *pag. 653.* ex hæmorrhoidum consuetarum suppressione *pag. 657.* in Abbate sexagenario lautè viventi & obeso, nigram cum pituita materiam exspuente. Clariss. Deckerus in Barbette notavit: Raro flatus tympanitem efficientes solummodò in abdomine contineri; sed plerumqve aquis permixtos. & Mangetta: Tympanites post longum tempus Ascitem sibi facit Comitem. Doctiss. D. D. *Dolæus in Encyclopæd. Med.* inquit: Tympanitem partim à flatibus, partim autem ab extravasato sero produci; Tympanites enim raro solitarius est, sed ordinario Ascitem habet Comitem.

In Tympanite cum Ascite ex profusione Sangvinis seu ut clarius loquar Hecticam pulmonum sequente unicus tantum casus mihi occurrit, Hic Fraustadii in Illustr. & Reverendiss. Dn. hujus Civitatis Præposito.

Illustr. & Reverend. D. Dn. N. N. Præpositus Fraustadiensis annum agens 37. Temperamenti sangvinei, Obesus antea & valde Pletoricus vinis nimium indulgens, ut ex ore ipsius per sœpe audivi, ante annos & quod supra duos primum per vices vexatus est tussi adeo vehementi ut quandoqve metus suffocationis illi impenderet, quæ tussis aucta per tempus excitavit ejectiones sputi sangvine tincti, quandoqve magna sangvinis floridi quantitas profusa est; subsecutus est calor mordax modo totum tractum, modo volas manuum infestans, cum atrophia totius &c. in ventre quoqve interdum passiones colicas, murmura in intestinis & circa lumbos dolores sensit cum intumescentia quadam seu distensione erratica, quæ tamen ante septimanas 40. in abdomine seu infimo ventre suum habitaculum quærebat, idqve ibidem inveniebat, ita ut successivè abdomen in magnam acresceret molem & ingentem ostenderet tumorem; venter digito percussus sonum instar tympani edebat. Ego 4. septimanis ante ejus discessum ex hâc vitâ vocatus inveni eum jam hydropicum consummatum, simul Tussi, respiratione difficili, dolore sinistri lateris in Thorace,

cum calore in volis manuum & pedum plantis, febri lenta laborantem materiam viscidam & sangvine tinctam ejicientem, urina rubra & spumosa, Facies apparebat rubicunda, sitis autem non adeò intensa erat. Pedum tumor ultimis septimanis supervenit, absqve Scroti intumescentia.

Affectum hunc nominavi Tympanitem cum Ascite Hecticam pulmonum subsecutam. Hecticam adfuisse indicat ejectio sangvinis floridi à ruptione vasorum pulmonum & sputi sangvine tincti ab ulcere in pulmonibus, Tussis, & Atrophia.

Tussis in principio per intervalla infestans jam Phthisin imminere & intemperiem sangvinis adesse acrem & acidam indicavit; hinc à nimio continuato potu sanguis acidior & acrior redditus pulmones magis magisqve irritavit & Tussim auxit. Pulmones à lympha acri corrosi & irritati facilè lædi possunt, hinc inflammari & exulcerari; facillimè si nimia poculenta præsertim æstuantibus ex nimia motione pulmonibus ingerantur: ubi non solum in pulmonibus, verum etiam passim in nostro corpore obstructiones generari possunt, quæ deinde tum ad Hecticam, Ascitem & Tympanitem sternere viam qveunt.

Notum est, plurima vina acido-austeris gaudere particulis, & cum simul sint spirituosa, non mirum quod in nostro defuncto talis acido austeritas obstructiones tum in intestinis, tum in ipso abdomine, aliisque partibus pepererit, ut inde pori obstructi spiritibus seu flatibus exitum non permiserint, qui postea vel circa umbilicum vel circa lumbos tormina & dolores excitarint. Et cum flatus in omnibus corporis partibus & qvalibet cavitate generari possint, possunt quoqve hinc inde distensiones produci. Quia verò cavitas infimi ventris capacior est reliqvis in homine existentibus cavitatibus; quoqve abdomen ob majorem seri & flatuum in eo contentorum quantitatem magis extendi potest & conseqventer majorem offerre tumorem, qui abdomen adeò vel distendit, ut percussum digitis sonum instar tympani edat. Et cum modò recensita phœnomena & in nostro casu observata fuerint, non immeritò tympanitem simul adesse suspicatus sum; quæ tamen per tempus sibi Ascitem comitem adjunxit: Cujus natura in sua structura fusius jam explicata est.

Tumor in Nostro Defuncto partim à sero extravasato, partim à flatibus productus est. Respiratio difficilis tam ab exulceratione lobi pulmonis sinistri, quam ab aquis Diaphragma prementibus orta. Dolor in sinistro

latere

latere Thoracis ulcus in sinistro lobo pulmonis apertè ostendit. Ejectio materiæ purulentæ & floridi sangvinis nec non Atrophia, quæ quidem in hydropicis Asciticis consummatis quoqve observatur, tamen etiam simul Phthisin indicaverunt. Febrim lentam calor prodidit. Facies rubicunda: in Tympanite non ita de ordinariò recedit statu facies, erat enim Plethoricus facie rubicunda gaudens; quamvis & hæc rubedo pro symptomate haberi possit, præsertim si rubedo non semper in facie appareat, & tunc à febri, quæ hanc rubedinem in facie facilius deponit, quia cutis ibidem tenuior est magisqve transparens.

Æger noster ex usu clysterum & Emplastrorum carminantium multos per inferiora flatus, per superiora vero ructus emittebat, venter octavo ante obitum die incipiebat detumescere & flaccescere, quod malum quidem fuit signum; indicabat enim membranas musculorum flatibus & sero distentas ruptas esse, hinc quoqve distensionis relaxatio & remissio facta. Ungventum quoqve à veteri sic dicto Practico antea Theologiæ studioso abdomini applicatum est, quod tamen diu sustinere Reverend. Dn. non valebat, erumpebant enim ab unctione hujus Ungventi, quod summum in hydrope esse arcanum ille Medicus fictus jactitabat, multæ pustulæ & ulcuscula in cute ventris, quæ Ægrum ante miserum summis doloribus excruciaverunt, quapropter & amplius admittere nolebat. Et quamvis hoc arcanum, cujus compositionem nulli exponere nostrum ille Physicus cupiebat, à Me & Reliquis duobus Excell. Medicis & Promotis Doctoribus rejiceretur, tamen ex commendatione Nobiliss. Domini Hospitis Egregii Viri quidem, sed in hâc parte nimis præcipitanter agentis Linimentum hoc nos oportebat admittere. Huc refer, quæ supra de glandulis mesenterii induratis diximus, an in expanso abdomine digitis tangi possint? Quam hypothesin etiam ille Physicus statuit, quod negativè respondi, cum impossibile sit, illud, quod medio in sacco magno aqvis vel flatibus distento absconditur, digitis perscrutari. Ultimis diebus usus est medicamentis Medici cujusdam Wolaviensis; quibus tamen anima in corpore retineri non potuit, sed hoc deserens, proh DEum! d. 11. Octobr. 1696. inter 10. & 11. horam vespertinam summo cum mœrore & dolore multorum adstantium amicorum Creatorem suum rediit.

Et cum Illustribus Cognatis non displicuerit Sectionem, quò veram morbi & mortis causam acquisiverint instituere, & me, ut circa hanc opera-

rationem dirigerem, amanter rogaverint; quoqve hanc sectionem unà cum Domino *Jeremia Pezelio* hujus Civitatis Chirurgo ad hocce munus vocato peragere suscepi. Examini primùm subjecimus Thoracem, & in eo pulmones, quorum sinister lobus totus putridus & exulcerosus, dextri verò pars aliqua putrida & Ulcusculis infecta fuerunt; In Cordis thalamis paucus sangvis iisqve niger & grumosus reperiebatur, nec non in cavitate Thoracis aliquot libræ seri putridi, viscidi & purulenti. In infimo ventre observata sunt: Ventriculus parvus, nodis hinc inde refertus & densus; Intestina partim adhuc flatibus distenta, partim ab illis libera, omnia quasi semicocta; Diaphragma quoqve ex utroqve latere quasi coctum apparebat; Hepar durum & naturali rubedine destitutum, in cujus vesicula fellea bilis nigra & spissa; Omentum nigrum, putridum, laceratum, & ab omnibus partibus, quibus naturaliter adhærere deberet, separatum; hinc quoqve potulenta omnia è ventriculo in cavitatem abdominis exstillata sunt, &, quia per renes ad vesicam transferri non potuerunt, ibidem collecta: unde in cavitate abdominis libras ferè 40 seri partim fluidi, partim verò glutinosi & faciem Gelatinæ fermè referentis reperi; Renes parum lividi omni pingvedine derelicti, & Mesenterium valdè Crassum & non secundum suam naturam debitè extensum, cujus glandulæ indaratæ quidem erant, sed non adeò magnæ, ut ægro adhuc viventi in ventre distento potuerint digitis tangi. Quæ omnia iterum meam opinionem confirmârunt, Morbum hunc reverà Hecticam cum Tympanite fuisse Asciten Comitem habente.

Hectica quamvis causa fuerit remota hujus morbi, hunc tamen usqve ad finem semper comitata est. Datur enim hydrops cum Phthisi, quæ aliquando præcedit, quandoqve qvoqve comes est. Nam Phthisis nihil aliud est quam Hectica pulmonum: Hæc Genus; Illa species, vocatur. Hinc falsum est, quod iterum Physicus ille somniavit: Hecticam nunqvam hydropem comitari; sed qualis vir, talis oratio.

Diximus Tympanitem nunquam sine sero reperiri: quod probatur 1. per naturam ventorum, qui nihil aliud sunt quam vi caloris subterranei commoti vapores, qui dilatati ex loco angustiori, in quo prius erant, in alium transeunt, ubi faciliùs expandi possint. Cùm enim multi vapores in cavitatibus montium vel cryptis terrarum, v. g. contenti subterraneo calore celeriter rotari incipiunt circa suum centrum, tunc magis exigentes

gentes spatium, quam antea se invicem per terræ meatus magno impetu expellunt; egredientesqve & obvium sibi aërem rapientes ventos excitant: Si his vaporibus exitus denegetur, Terræ seqvuntur motus. Prob. 2, experientia chimica: Hoc etiam in aliorum spirituum distillationibus observatur. In parandis spiritibus chimicis v. g. C. C. Tartari &c. Sicca retortæ terreæ induntur, quæ ubiqve munita recipienti coaptata & igni imposita, ex materiis sive C. C. seu Tartaro &c. per collum suum flatus emittit in recipiens, hinc si ignis parum nimis augetur, vapores in copiâ ascendentes vi quadam appositum vitrum rumpunt, & flatus seu venti per totum laboratorium percipiuntur. 3. Per æolipilas: quæ sunt globi ex ære, cavi, & omni ex parte clausi, præter quod à latere exiguum foramen habeant; quorum pars inferior si aqua repleatur, deinde globi igni imponantur actione caloris multæ aquæ partes intra æolipilas attollentur, & magno impetu per foramen egredientur; sicqve sentietur ventus satis validus, qui non desinet, nisi post exhaustam æolipilæ aquam. Eodem igitur ferè modo excitantur flatus in corpore nostro humano; cum enim materia quædam apta Serum &c. deponitur in loco apto cujus pori ubiqve clausi, serum continuè de se spirat vapores ab interno calore sangvinis elevatos, qvi vapores postea exitum non invenientes abdomen aliasqve corporis partes distendunt, dolores & incondita murmura exoriuntur. Hinc Causa proxima in Tympanite incipiente est serum cum flatibus abdomen distendentibus; ubi vero per tempus Asciten comitem sibi adjunxerit, eandem agnoscit causam cum Ascite, nisi quod simul flatus in abdomine reperiantur, quæ in nostro casu observanda.

Causa antecedens est flatulenta rarefactio, quæ fit ex muco in primis viis coadcervato, in quem vel salia volatilia assumptorum, vel ipsa etiam bilis pinguior facta incidunt, & sic depravatam in intestinis aliisqve partibus effervescentiam instituunt.

Inter Causas remotas maxime accusantur quæ flatus & pituitam generare possunt. E. G. Omnia flatulenta, cruda, acida, austera & mucosa.

Inter flatulenta numerantur omnia leguminosa; v. g. pisa fabæ &c. Oryza. Rapæ, quarum foliis si vaccæ affatim vescuntur & statim frigidam superbibunt, flatibus adeo afficiuntur, ita ut illorum copiâ ilia in vaccis rumpantur.

Panis viſcidus & adhuc à furno calens præſertim Ille panis ſimilagineus recens à Frauſtadienſibus Grieß-Semmel dictus, qui à furno adhuc calidus & delibatus Pueris à parentibus ſuis ibidem ſingulis ſeptimanis ſemel in gratiam bonæ affectionis offertur.

Intentio bona, conſequentia autem mala; nam ſi ſcirent ejusmodi calentem panem cauſam exiſtere contumaciſſimarum hinc inde obſtructionum præſertim in ventriculo & inteſtinis à quibus non ſolum poſtea Tormina ventris, colica &c. verum etiam alii gravisſimi morbi ortum ſuum ducunt; certè lubentet ab hâc bonâ affectione abſtinerent, & hunc panem calidum à mensâ proſcriberent.

Brasſica capitata muriâ condita, quæ turbas in primis viis movet, & ſagvinem tumultuariè fermentat.

Poma immatura, quæ acido-auſteritate ſua magnas in ventriculo & inteſtinis excitant turbas.

Pruna, mala perſica, mora, fraga, melones, cucumeres facile in liquamen putridum abeunt, fermenta viſcerum deſtruunt, & prævia fermentatione acriora ſpicula extravertendo choleram, alvi fluxum, colicam & conſequenter Tympanitem producere poſſunt.

Vina adulterata, acida, auſtera; Item Cereviſiæ veteres & acidæ quæ aciditate & auſteritate ſua non ſolum primis viis ut ventriculo & inteſtinis infenſa ſunt & ibidem exorutiatisſimos dolores excitant; verum etiam ſangvinem & lympham aceſcere faciunt, & ad coagulationem diſponunt, unde ſuccus nutricius in capillaribus vaſculis facile præcipitatur, præcipitatus reſtagnat, reſtagnans plus aceſcit, aceſcens vicinos ſuccos prætèrlabentes inquinat, ut inde varia emergant phœnomena, toti œconomiæ animali fatalia.

Aqua frigida, quæ ſi crudis fructibus v. g. prunis, peponibus, cucumeribus, rapis &c. ſuperbibatur, Tympanitis quoqve cauſa exiſtere poteſt.

Interea non excludenda ſunt, quæ ſimul Aſciten producere valent, & quorum jam ſupra in Aſcitis deſcriptione mentionem fecimus.

Vulneri ſupervenientem Tympanitem à ſpaſmodico motu Spirituum animalium partes abdominis membranaceas inflantium notavit Williſius. Sed cum inter rarò contingentia annumerandum hoc phœnomenon, ſufficit ſaltim indicaſſe.

Signa Diagnostica incurrunt in sensus; adest magna abdominis distensio, Abdomen percussum sonum edit, Fluctuatio aquarum in ventre non ita percipitur, Facies non adeo de ordinario recedit statu, Tormina præcesserunt circa umbilicum & lumborum dolor; ut ex *Hipp. S. 4. Aph. 11.* constat, dicent. Quibus Tormina ad sunt & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neqve aliter solvatur, in Tympanitem firmatur; ructus & crepitus crebrò prorumpunt, borborygmi & rugitus obmurmurant. Dyspnœa & sitis quoqve hic dominium obtinent.

Prognosis: apud Vulgus Hydrops Tympanites ita malè audit ut eo affecti omninò insanabiles credantur. Reverà tamen hic morbus non sæpe per se interficit, & ni post tempus Hydropem Ascitem sibi faciat comitem. Si tympaniti accedat inflammatio umbilici vel alius ventris musculi, tunc mors est in propinqvo, legantur quæ circa explicationem casus nostri dicta sunt de Musculis abdominis. Item prognosis ex Ascite.

Tertia species est Anasarca, quæ ex inundatione aquarum serosarum in vasis lymphaticis & musculis peripheriæ corporis tumorem totius corporis præprimis circa palpebras oculorum producit.

Pars affecta est totus corporis habitus.

Diagnoscitur ex tumore laxo, molli & plerumqve pallido totius corporis, omniumqve ejus partium extremarum & digitorum impressorum remanent stigmata. Sitis non adeò urget. Respiratio est difficilis. Facies pallida.

Causa est collectio lymphæ in musculis partium externis, vel eorum vasis lymphaticis, quibus ruptis lympha in panniculum effunditur.

Anasarca facile cognoscitur, & reliquis speciebus facilius, cæteris paribus, quoqve curatur. Degeneratur in Asciten dicente *Hipp. Aph. 74. S. 7.* Albæ pituitæ aqua intercus supervenit. Illi qui ex nimia Sp. V. ingurgitatione Ascitici evadunt, plerumque primò Leucophlegmatici fiunt.

Ex mœrore Anasarcam ortam lethalem observavit Deckerus in virgine septuagenaria.

Hydrocephalus vel ὑδροκέφαλον est Tumor Capitis aquosus seu Hydrops capitis & oritur ex inundatione aquarum serosarum collectarum inter cranium & musculos & cutem capitis, ubi ex restagnatione hujus humoris vitiosi vasa lymphatica obstruuntur, tandemque rumpuntur, hinc

ex no-

ex novis subseqventibus musculi & cutis capitis in magnum extenduntur tumorem; Colligitur enim interdum tanta copia humoris, ut eo caput supra modum intumescat. Quandoqve collectio fit inter cranium & cerebri membranas; quandoqve Teste Aëtio inter cerebri substantiam & ejus membranas, sed quæ nullam recipiat curationem.

Morbus hic infantibus magis solemnis est quam adultis, quia infantibus tunicæ arteriarum & lymphæ ductuum sunt molliores, atqve pori tubuliqve angustiores, hinc quoqve in utero materno infantes hunc morbum acquirere solent ex obstructione vasorum & impedita circulatione humorum, & deficienti insensibili transpiratione. Præsertim cum Infantis caput diu detineatur in aquis, quæ in utero sunt, quæ cerebrum aliasqve partes capitis refrigerant, & sic hunc affectum generant. Distingvendum tamen est inter tumorem à sangvine extravasato productum, qui quandoqve ob partus difficultatem & ob rudiorem in puerperio ab obstetrice factam operationem in infantibus recens natis in capite deprehenditur, & non pro Hydrocephalo habendum.

Pars affecta est caput & quidem quoad nervos & vasa lymphatica in eo perreptantia: hæc quatenus sint rupta, illi quatenus officia sua ritè peragere nesciant. Et quia serum seu lympha colligitur nunc in ipsa substantia cerebri, nunc inter ejus membranas & cranium, modo inter cranium & pericranium, item inter cutem & musculos capitis.

Signa Diagnostica quoqve in Democriti puteo latent sepulta Imminentis Hydrocephali, nec nisi σχασμῷ artificiali erui qveunt; Si verò jam præsens fuerit hic affectus, tùm facilè in sensus incurrunt.

Tumor si adest mollis, ad digitorum contactum cedens, materia latet inter pericranium & cutem, sin inter cranium & cerebri membranam contineatur aqua, tumor ad tactum non est mollis, nisi valida fiat compressio, tum enim impulsus cedit, cùm cranium infantum adhuc sit tenerius, & maximè suturis dilatatis.

Causa cum hydropis convenit, est enim ruptis vasis lymphaticis extravasatio lymphæ, quæ colligitur vel inter pericranium & musculos capitis, vel inter cerebrum & ejus membranas &c. lymphæ ductus enim diutius obstructi, quia valdè fragiles sunt, facilè rumpuntur, & aquas suas exspuunt, quod Dn. *van Horne* P. P. Leidens. annotavit ex inspectione cadaveris pueri, in quo libras ferè 4. aquæ subsalsæ & lympidæ extraxit.

traxit. Lympha hæc utplurimum colligitur in capite ob deficientem insensibilem transpirationem, nonnunquam ob impeditam urinæ excretionem, quale exemplum habet Clariss. & Doct. Dn. *Dolæus* in sua Encycloped. chirurgica *pag. 5.* in filiâ unius anni, quam etiam feliciter diureticis pristinæ restituit sanitati.

A flatibus caput in molem extendi posse refert *Hildanus Cent. 3. Obs. 18.* de nequissimo quodam nebulone, qui in infante suo artificiosum scil. hydrocephalum fecit: nempe incidit cutem capitis circa verticem ad musculos usqve foramine parvo, ac per illud ipsum ore (immissâ fistulâ) inflavit foramen cerâ aut simili aliqua materia obturavit, foramen enim eâ industria & adeò artificiose fecerat, ut possit obturari aptè, unde caput in maximam extendebatur molem. Infantuli hujus nefarii parentes hoc quæstus & lucri causa fecerunt, & eapropter Parisiis explorato scelere ambo morte mulctati fuerunt: sed hoc rarum est. Historiam hanc *Hildanus* testibus à quibus eam accepit confirmat, *pag. 199.*

Quoad prognosin, hic morbus periculo haud caret, ætas enim tenella est, quam utplurimum occupat, huic oneri ferendo impar, & communiter succumbit, hinc omnes infantes hoc affectu laborantes mortuos se vidisse ingenuè fatetur *Ingrassius Tract. 1. C. 1. Comm. in Avicenn. de Tumor.* Confer *Sennert. L. 1. Prax. p. 1. cap. 28. Paran. 7. Operat. Chirurg. c. 1.* Malum signum est, si tumor quotidiè increscit. Si lympha in ipsa cerebri penetralia decumbat, de restitutione conclamatum esse omnium Medicorum fert sententia. Si circa nucham lympha dominatur, obstructionis spinalis medullæ metus est. Aliquando totam capitis peripheriam occupat, & tunc multa in recessu vitæ discrimina habet; quandoqve dimidiam capitis regionem, ut *N. Tulpius* profert *Obs. Medic. l. 1. c. 25.*

Quod hæc aqua in ventriculis cerebri sæpè contenta non efficiat apoplexiam, epilepf. &c. ratio est, quod non subitò, sed sensim in cerebro colligatur. Sin verò supervenerint Apoplex. Epilep. Lethargus &c. non fallaces sunt mortis prodromi.

Sangvis è naribus stillans indicat serum esse valde acre, quod vasa corrodit. Hic affectus aliquando brevi curatur, nonnunquam etiam non citò absolvitur.

Hydrops pectoris eandem habet originem cum Ascite, rumpuntur enim vasa lymphatica, quæ in cavitate thoracis reperiuntur, à nimiis col-

lectis aquis serosis; hinc fit extravasatio lymphæ serosæ & conseqventer inundatio in Cavitate Thoracis.

Totum Genus nervosum & venosum in hoc morbo laborat primariò, secundariò verò Thorax & in hoc contenta, quorum vasa lymphatica rupta lympham stillant.

Differt ab Empyemate, quòd est collectio puris in cavitate thoracis; Hic affectus autem collectio materiæ aquosæ, serosæ.

Ex eodem fonte cum Ascite prosilit, quapropter quoqve eodem adsunt phœnomena: ut fluctuatio aquarum in Thorace, Tussis sicca, Dyspnœa præcipuè inter ascendendum, sitis, febris lenta, hypochondria utrinqve tumida, palpebræ inferiores inflatæ, noctu post primum somnum magna inquietudo & jactatio, pedes tument, aliquando etiam scrotum, pulsus inæqualis & perturbatus; accedit quandoqve cordis palpitatio & crebra animi deliqvia. Quorum omnium explicationes facilè ab Ascite hydrope peti possunt.

Affectus hic difficilis est curatu & tandem transit in Asciten. Raro quoqve occurrit.

Uteri Hydrops est collectio aquosa subinde in ipsa Uteri substantia, subinde inter membranas ejus, rariùs in ipsa cavitate. Ingentem Uteri Hydropem in Tubis observavit Celeberr. D. *Munniks* Professor Ultrajectinus.

Hic affectus difficilè cognoscitur, propterea quod uterus aliis humoribus crassioribus laborans, eadem ferè patitur symptomata & signa; imò sœpè hic affectus ab imprægnatione difficulter internoscitur.

Causas easdem ferè habet ac Tympanites & Ascites, quæ consuli possunt. Difficile quoqve uti omnes reliquæ hydropis species curatur.

Cura.

BReviter descriptâ Hydropis historiâ necesse est ut & ad Præsidia, quæ nos ab hoc hoste liberare possunt, nos convertamur. Antequam autem hæc adducamus, pauca quædam de vera Medici veri cognitione, & quinam Medici non solùm ad hunc hostem debellandum: sed etiam cœteros ad morbos curandos admittendi sint, instituamus.

Ad ve-

Ad veram Medici veri cognitionem quod attinct, ille non cognoſcitur quatenus habet magnum nomen famamqve magnam: Quæ quidem, ſi una cum aliis neceſſariis requiſitis adſint, non negligenda ſunt. Sed quatenus ſimul & quidem ſecundum legem Hippocratis Magni illius Legislatoris Medici, Natura, Doctrina, Loco ſtudiis apto, inſtitutione à puero, ſtudio & induſtria, atqve tempore niſus fuit. Illud enim ſolùm non facit Medicum verum juxta Coum magnum dicentem. Medici fama & nomine multi, re autem & opere valdè pauci reperiuntur. Sic hinc inde magnum nomen, quamvis ab ignorantibus & idiotis, ſibi acqviſiverunt Tonſores, Balneatores, Aromatarii, Seplaſiarii, Circulatores &c. imò & ſtudioſi Theologiæ ſemiſcioli, cujus generis ſpecies quædam & mihi patet, non erubeſcens officium deſiderare Phyſicum. Titulumqve promoti Doctoris, qui tamen nunquam fieri poteſt. Qui quidem à Doctiſſ. Dn. *Paulo Zach.* in ſuis quæſtionibus legalibus *pag. m. 371* quoqve Medici vocuntur, ſed latè, h. e. inter fictos & medicaſtros eos numerat. De his & videatur Ripa tractat de parte *part. ult. parbi 2. No. 3.* Item *Galenus in Lib. ad Thraſib. cap. 24.* Aliiqve. *Hippoc.* eos perſonis mutis in tragœdiis ſimiles eſſe non inficiatur &c.

Ex his patet Medicum verum non cognoſci ſola fama cœca & quatenus à variis Idiotis recommendatur; ſed re ipſa, ut aliquis Medicus ſit, requirit *Hippocrates*, h. e. morborum hornmqve ſignorum, imò omnium Medicinæ partium accuratam & ſufficientem habeat cognitionem.

Quæres, unde hæc cognitio fluat? Reſp. cum Hipp. è Doctrina, h. e. ex informatione cujusdam fidelis & docti Profeſſoris Medicinæ. Ubi verò hæc doctrina acquiratur? In loco ſtudiis apto, h. e. in Univerſitate aliqua, ubi eſt confluxus multorum Virorum doctorum. Doctrina autem hæc non citò per aliquot ſeptimanas, uti Methodicis placuit, qui Herculis cothurnos puerorum pedibus applicare volebant, acquiritur; ſed per tempus debitum, ſtudium enim medicum latiſſimum eſt, & multum requiritur tempus ad hoc excolendum, ſi poſteà in arte ſua quidam perfectus eſſe velit Medicus.

Quærere hic vales, an illi, qui vulgò veteres quaſi Practici vocantur, in aliquorum morborum cura fortunam aliquando habuerunt, attamen demonſtrare non poſſunt, ubi hanc artem addidicerunt, multò minùs de hac arte ſeu ſcientia teſtimonia ab univerſitatibus proferre poſ-

F 2 ſunt,

ſunt, officio Phyſici in aliqua Republ. uti ille Medicaſter in noſtra præfatione fungi poſſint, ipſisqve promotis Doctoribus præferendi ſint? Ego ut fidelis & pius Medicus, cui incumbit, ne in die Judicii coram Divina facie cum illis, quos DEus unâ mecum ad munus hocce vocavit, qui in ſumma hac rerum confuſione, perturbatione & inverſione tacuerunt, & obmutuerunt, malè ſubſiſterem, & ipſi Judices à me vindictam petierint, ignorantiamqve prætenderint, ut honorem, dignitatem, ac famam artis meæ, cujus Autor ipſe DEus tuear & promoveam, reſpondeo: nequaquam admitti poſſe neqve ad officium phyſicum, neqve ad honores Doctoribus promotis debitè exhibendos. Quicunqve enim deſiderat officium & locum phyſicum, præſertim in honeſta aliqva Republ. aut Civitate, ille neceſſe veris, debitis & legitimis ab univerſitate quadam adeptis teſtimoniis ſit illuſtratus, ut his demonſtrare poſſit an habilis, idoneus ac aptus ſit, hoc officio fungi; Quicunqve verò non poteſt per legitima univerſitatum teſtimonia ſuam aptitudinem demonſtrare, illi etiam talia officia non poſſunt offerri, quamvis à vulgo haberet nomen fortunatiſſimi, vulgus enim ſine ratione judicat, ridiculum etiam coram orbe erudito eſſet Medicos fictos ſine doctrina ad officia evehere Archiatrica quæ nobilisſima ſunt, Margaritæ enim ſuibus non ſunt projiciendæ. Præterea huc referendum eſt illud Sperlingianum: Ubi multum fortunæ ibi parum intellectus & prudentiæ. Et in medico laudare fortunam eſt medici accuſare ignorantiam.

Objicies: tamen multis in locis reperiri Medicos fictos, Carnifices, Circumforaneos, Bullatos ſeu bulla inſignitos, veſicarios, qui freqventiorem habent praxin, quam Promoti Doctores, quod tamen hi non mutare valent. Reſpond. Res eſt quæ magis deploranda quam corrigenda, quia ex lenitate Magiſtratus provenit. Nam ſi Ampliſſ. Magiſtratus ubiqve ſubditorum ſalutem, æqvè ac illi curaret, reverà tot imperitos homines, pſeudochymicaſtros, circumforaneos, impios carnifices, & hujus farinæ nefarios homines, neqve arte, neqve experientia valentes non ſolùm non admitteret, ſed meritò ejuſmodi homicidas ſupplicio afficeret. Sed quam procul eſt à ſcopo; tanta enim farrago illorum Medicaſtrorum his temporibus eſt, ut meritò deploranda ſit conditio artis medicæ in ſe ἐπιφανεστάτης, & ſingularis doni à DEO hominibus conceſſi, quod à tot flagellis conſpurcetur. Ex omnibus enim vitæ ſtationibus etiam deſperatis,

ratis.

ratissimi quiqve quorum pro fligatissima vita est in campos Medicinæ audacissimè insiliunt, & juxta illud:

Fingunt se Medicos, quivis Idiota, Sacerdos.
Judæus, - - - Histrio, Rasor, Anus,
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator. Et
Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ,
Rastricolæ, Molitor, Pistor, Agaso, Faber.
Quin etiam Carnifices &c.

Quia verò Mundus decipi vult, decipiatur Ergò.

Hoc autem admirandum, quando tales impudentes Anneteſtes in aliquo loco reperiuntur, qui, etsi rationes studiorum suorum reddere nesciant, nec unquam demonstraverint, an scientiam suam legitimè impetraverint, majoribus quam par est honoribus affici desiderant, imò officio Physici fungi contendunt.

Ex his facilè colligendum, quod vera veri Medici cognitio non consistat in sola magna fama, magno nomine, magnaqve praxi exclusâ scientia vera, informatione à puero in loco debito, testimonio seu privilegio doctorali atqve doctrina; sed quatenus conjunctim in subjecto erudito reperiuntur, & re vera insunt.

Ad Medicum quod attinet, talis eligendus est, qui judicio bono præditus & propter sua studia ab universitatibus cuivis desideranti reddere scit rationes: h. e. Rationales ac Medici Academici ad hunc, aliosqve morbos curandos eligendi sunt, præsertim si Æger in ultimis vitæ suæ horis animam suam bona cum conscientia Creatori suo reddere velit. Omnium autem rerum Creator est DEUS sed ordinis, non confusionis, hinc quoqve vult ut omnia in communi hominum vita secundum ordinem tractentur, &c. Unde ab eo semper tales Medici vocantur, qui juxta Divinum senem sibi verè scientiam Medicinæ comparaverunt, scilicet, qui nisi fuerunt Natura, Doctrina, Loco studiis apto, institutione à puero, studio & industria, atqve tempore. Et hi à Deo vocantur, hi etiam per Professores Medicinæ Academicos (non per privatos Homines, scil. per Notarios Stadt-Schreiber) approbantur, & ad culmen per gradus (non absqve his) in sua scientia evehuntur. Nam

Scandere Parnassi culmen, res plena laboris,
Nec datur ad Musas currere plana via.

Hos quoqve sacra Scriptura jubet honorare *Syrac. cap. 38. v. 1.* Hiqve & officio Physico fungi instructi sunt. Hoc *Augustus* Cæsar observavit, qui *Antonio Musæ* Medico non ficto, sed rationali, universoqve Medicorum dogmaticorum ordini jus annulorum aureorum, multamqve immunitatem concessit. Et ut *Plinius* testatur, Romani Cæsares, qui Medicis non fictis non è Theologia in Medicam artem irruentibus, sed rationalibus 250 sestertia pro annuo solario numerarunt.

Ex his sat superflue patet, Medicastros omnes tanqvam Diabolum fugere, è contra se in manus Medicorum à Deo vocatorum committere, si bonos verosqve tam corporis quam animæ nostræ curatores esse velimus. Hinc dico. Quicunqve non est Medicus doctus, ille neqve honorandus, neqve ad morbos curandos admittendus, atqui Noster *Balthasar* non est doctus. E non est. &c. Item quilibet Doctor est honorandus, atqui Noster *Balthasar* non est Doctor. E. non. &c.

Plura adducenda quidem essent, sed ut brevitati studeam, me converto ad præsidia, quibus nostrum hostem scil. hydropem debellari possimus.

Præsidia hæc juxta consvetudinem assumptam è tribus fontibus peti possunt: scil. Chirurgico, Pharmacevtico & Diætetico.

In Chirurgia nobis varia proponuntur, inter quæ Venæsectio à variis Practicis laudatur: sed quia in principio totus sangvis non infectus est, neqve illa pars infecta illuc duci potest, ubi possit extrahi; Item in consummato totus sangvis totumqve genus nervosum infectum, periculosum esset sangvinem extrahere. Nos hanc cæterasqve operationes tanqvam nihil valentes, relinqvimus. Παρακέντησις aliquando institui potest, si Æger adhuc validus est, & sustinere potest, nam viribus prostratis successum nunqvam pro voto experieris. Quæ *Hildanus* de *παρακέντησι Cent. 1. Obs. 48. pag. 43. Cent. 4. Obs. 42. p. 320. Cent. 1. Obs. 47. p. 42. Cent. 2. Obs. 58. p. 133. &c.* Aliiqve scripserunt inter raro feliciter successa annumeranda sunt. Quapropter necessè est, ut præsidia in fonte Pharmacevtico & Diætectico quæramus.

In fonte Pharmacevtico multa numerantur remedia, quæ hinc inde à variis Practicis laudantur. Pauca vero mihi sufficiunt, & quidem quæ vim habent virtualem aperiendi, educendi & confortandi. Inter hæc aperientia sola sufficit Camphora, & Medicamenta absqve camphora in hydrope adhibita ferè nihil efficiunt. Camphora enim mirabiliter aperit, mani-

manifestè autem, non occultè. Nam substantiam habet Oleosa-Spirituosam; quæ, nisi cicuretur aliqua materia oleo gaudenti fixo, intra aliquot horarum spatium consumitur & evanescit. Id, quod testari possunt Pharmacopœi aliiqve Aromatarii seu Materialistæ, qui Camphoram conservant vel Pipere, vel sem. Lini, aliisqve his æqualibus speciebus. Hinc Camphora ubiqve poros in humano corpore à materia viscida & glutinosa obstructos aperit vi sua penetranti, ita ut postea reliqua medicamenta eò meliùs, feliciùs & citiùs agere possint.

Ad educentia spectant purgantia, sudorifera & diuretica. Ego solâ resinâ Jalappæ cum cremore Tartari addito pauculo Camphoræ usus sum. e. g. sit formula purgantis: ℞. Resin. Galapp. gr. iv. Cremor. Tartar. ℈ſ. Camphoræ gr. v. M. add. Ol. Cinam. vel alio Oleo dist. confort. gt. 1. atque alteram. f. purgans. quod in variis adultis 20. operationes excitavit.

Inter sudorifera præstantiora sunt Antimon. Diaph. Crocus, Corn. C. 5. △. Bezoartica quævis; sal fixum quodvis & Olea dest. Quæ quidem omnia uti & purgantia juxta naturam & sexum variorum subjectorum disponenda sunt sit formula ℞. Antimon. Diaphor. ʒſ. C. C. s. △. ℈ſ. ⊖. Absynth. gr. xv. Camph. gr. vi. Ol. dist. Macis. gt. ii. M. f. pulv. D. S. Schweißpülverl.

Diuretica sint Allium, Scordium, Cepa, Nitrosa, Olea dest. ⊖ia volatilia &c. Omnia autem cum camphora permiscenda sunt. Decocta, Destillata, pulveres ex his dictis parari possunt, sit in qua forma æger lubentius assumat.

Confortant cum aliis Pulveres cordiales, e. g. Bezoart Sennert, Cord. Dornc. aliiqve. Vinum absynthiacum &c.

Balnea sicca multum præstant, si debito tempore adhibentur & æger sustinere valet.

Cura Diætetica consistit in his ut Ægrotus maximè se abstineat à potu, quæ vel sola curavit. Unde valet sequens: Abstine & efficies, quod medicina nequit. Quieti non adeo indulgeat, sed si adhuc vires adsint, magis motui se exponat. Excernenda excernat, & ab omnibus animi pathematibus procul sit.

Regulæ sequentes ultimò addendæ sint, ut: Hydropici naturam in ferendis catharticis & sudori feris ritè explorare, potior curationis pars est.

Omnia externa pro fuco habenda, solo excepto Spir. Juniperi & sp. Vin. ♀ sato. No-

Nocent Ungventa aliaqve pinguia, hinc quoqve illud quod noster Medicaster cuidam Reverendissimo applicavit.

Fortuna audacem juvat, timidumque deserit; ea propter valere quandoqve potest tonsorum proverbium: Frisch gewagt/ ist halb gewonnen.

Vulgaria plus præstant.

Lento gradu progressus Morbus difficilius curatur, quam qui citò fit, ut & qui aliis supervenire solet morbi.

Servi quia facilius quam liberi ad abstinentiam nocivorum cogi possunt, facilius quoque curantur.

Omnia acida, salsa, viscida, glutinosa, Lacticinia leguminosa, flatulenta nocent; quia obstructiones ad augent.

Aër autumnalis, nebulosus & frigidus atro notandus carbone.

Assata elixis præferenda, hæc humores cumulant, illa assumunt.

Post vehementem motum subita refrigeratio valdè nocet, quia idem visceribus fit, quod fieri solet ferro ignito frigidis immerso, h. e. obstructiones & inflammationes fiunt.

Somnus nocturnus conducit.

Opiata nocent, quia obstructiones augent.

Plura quicunqve desiderat, plura passim apud Autores reperiet. Nos brevitati studuimus, tamen ut quivis remedia contra hunc morbum gravissimum invenerit probatissima & securissima.

SOLI DEO GLORIA.

ERRATA,
quæ corrigi possunt.

P. 11. l. 3. lege Tympanites. P. 12. l. 30. leg. Et hæc. p. 14. l. 9. l. nis pro nes. ead. l. 33. l. Chylumque per. p. 15. l. 10. l. jure æquiss. p. 16. l. 3. trunslatus. ead. l. 23. lege. reliquæ. l. ult. dele comma inter crassus & nimis p. 21. l. 12. l. circulatione. p. 28. l. 4. l. aerem externum. p. 29. l. 22. l. citius. p. 30. l. ult. mala. p. 32. l. 24. lege. morbo diuturno. l. 31. l. distentum. p. 33. l. 5. leg. Archiater. p. 35. l. 2. leg. ulcus. p. 39. l. 29. leg. supervenit.